

CAROLI A LINNÉ
Equit. aur. de Stella polari
Archiatri Regii
Med. & Botan. Profess. Upsal.
Acad. Parisin. Petrop. &c. Soc.

AMOENITATES ACADEMICAE

SEU

DISSERTATIONES VARIAE

PHYSICAE, MEDICAE BOTANICAE

ANTEHAC SEORSIM EDITAE

NUNC COLLECTAE ET AUCTAE

CUM TABULIS AENEIS.

VOLVMEN OCTAVVM

EDIDIT

JO. CHRISTIANVS DANIEL SCHREBERVS
Ser. Marggr. Brandenb. Onold. & Culmb. Consil. Aul. Med. Bot. Hist. nat. & Oec. P. P. O. in Acad. Erlangensi.

ERLANGAE
Sumtu JO. JACOBI PALM
1785.

VIRO ILLUSTRISSIMO

JOSEPHO BANKS

EQUITI BARONETTO

SOCIETATIS REGIÆ LONDINENSIS

PRÆSIDI

REL.

OB

IMMORTALIA IN REM NATURALEM

MERITA

ET

SINGULAREM ERGA B. AUCTOREM

AMICITIAM

HOC VOLUMEN

D. D. D.

JO. CHRISTIANUS DANIEL SCHREBER.

DISSERTATIONES

IN OCTAVO VOLUMINE

CONTENTAE.

CLI.



CLI.

COLONIÆ PLANTARVM

quas

PRÆSIDE

D. D. Car. v. Linné

proposuit

IOHANNES FLYGARE

Dalekarlus.

Vpsaliæ 1768. *Iun.* 15.

---

§. I.

Sapientissimus Creator, qui globum convestivit terraqueum Plantis diversissimis, iisque prope modum innumeris, has, pro sua etiam stupenda ac admirabili rerum œconomia, modo usque adeo singulari disposuit, ut unaquæque amœnissimae hujus cohortis in sua tanquam patria habitaret, *loco* ipsi adsignato. Sic nimirum *Indiæ* plurimas acceperunt Palmas; *temperati* cœli regiones Herbas imprimis; *septentrionales* moderatæ Graminum multitudinem, *Frigidæ* Muscos & Algas itemque arbores coniferas, & denique *America* potissimum Filices. Idem summum providumque Numen, hæc quoque Plantarum genera in dicta distribuit climata, pro varia soli natura, in alpibus, montibus, campis, pratis, agris, paludibus, aquis

&c. quo in ſuo quodque natali loco lætius creſcerent atque florerent.

Qui veram cunque & ſolidam Plantarum ſcientiam aucupatur, *patriam* ipſarum ac ſedem cujusque propriam, haud ſane ignorabit.

Sic qui in communi vita, in uſum *œconomicum* illas vel *medicum* convertere velit, ubicunque gentium & locorum habitent, probe ſciat, neceſſe eſt. Præ aliis vero omnibus Hiſtoriæ cultores naturalis, quotquot in *hortos botanicos* plantas undique quæſitas colligere discupiunt, ut literatæ pubi easdem digito tanquam commonſtrent, unde ſemina ipſarum petenda ſint, exploratum habeant oportet, quo ex ipſo natali loco de cultura earundem rite queant judicare.

Maxima profecto induſtria plantas ſaltem Europæas examinarunt Botanici. Hinc nulla ferme gens eſt, quæ ſuam non habet *Floram;* proindeque, quod domi ſuppetit præſtoque eſt, non foris & longe lateque per orbem terrarum quærendum. Cum vero, progreſſu temporis, aliæ atque aliæ prodierint Floræ, in noviſſimis plerumque aliquot vidimus ſupplementa, in prioribus haud notata, unde in eam multi opinionem inciderunt, quod plures ſenſim plantæ acceſſerint, novasque effecerint tanquam colonias; verum hoc imprimis ex bene multis, quæ in Italia & Auſtralibus Europæ terris floruere plantis, ſat nos poſſe perſpicere, præſertim cum hæ, tempore *Caſpari Bauhini* prorſus ignotæ fuerint. Mihi itaque conſtitutum eſt, in rem Botanicam paulo curatius introſpicere, novane ſupplementa recentiori ævo advenerint, certo explorateque ut cognoſcerem.

§. II.

§. II.

Ab una ad alteram usque regionem vario utique modo plantæ ſponte transferri poſſunt, & ubicunque terrarum ſolum invenerint, ſuæ conveniens indoli, ibi conſident perque bene habitant atque morantur. Sic nempe

I:o Variæ ſunt plantæ, quæ *ſemina papposa* habent, multa paſſuum millia, id quod novimus, per aërem volitantia.

II:o *Flumina* longiori locorum tractu ſemina etiam advehere poſſunt; v. g. ab alpibus Lapponiæ Umoam usque ac Luloam.

III:o *Oceanus*, modo nondum cuiquam cognito, ſemina *CASSIÆ Fiſtulæ*, *ANACARDII occidentalis*, *MIMOSÆ ſcandentis*, & *COCOS nuciferæ* ad littora usque Norvegiæ volvit, eaque, quod miraberis, adeo vegeta, ut terræ mandata germinent ac creſcant. Vid. act. Nidroſ.

IV:o *Aves*, quæ ſeminibus veſcuntur, eaque per unam alteramve diem in alvo retinent, his agros conſpergunt, ad quæ demum loca migraverint.

V:o *Agros*, per frumenta ab alienis terris conquiſita, peregrinis ſeminibus inſici notiſſimum eſt. Sic enim CHRYSANTHEMUM *ſegetum* hoc primum ſeculo in Hallandiam ex Jutia introductum eſt, & nunc per hujus pariter ac Scaniæ agros, per late ſparſum. Eademque ratione MELAMPYRUM *arvenſe* e Germania in Scaniam invectum eſſe, dubio ferme caret.

VI:o *Hortis* ſemina plantarum ab exteris ſæpe terris parantur, cum peregrinis commixta, quæ apud nos dein floruere, adauctaque altas egerunt

 radi-

radices. e. g. CHENOPODIUM *Vulvaria* in Scania, ALOPECURUS *paniceus* in Smolandia, SISYMBRIUM *Irio* autem passim.

VII:o *Commercium* denique permultum efficit, quum naves a remotissimis terrarum locis fœnum vehant aut merces cujuscunque generis eo involutas; hinc quippe haud raro evenit, ut per littora spargantur semina, ibidemque sponte sua, ex iis, aptum sibi si inveniant solum, nascantur plantæ.

Hoc alioque modo qua speciem augescunt plantæ, ubi illis accommodatum contigerit solum. In præsentia igitur nonnulla proponere lubet plantarum exempla, quæ nostra in Patria conspecta sunt, &, quod in uno alterove tantum loco floruerint, haud vulgares sunt censendæ. Nullum quippe dubium est, quin nostro etiam tempore, casu nescio quo, longinquæ & alienigenæ in SVECIAM plantæ per semina immigrarint, atque commodam sibi soli naturam heic invenerint; etenim si a plurimis inde annis, nostræ fuissent populares, in multo plura ejusdem soli loca, sensim paulatimque florerent dispersæ.

§. III.

Plantæ AQVATICÆ pleræque Europæ & Indiæ sæpe sunt vulgares, quum in oceano, ubi nulla vis frigoris sub glacie illas absumere poterat, perquam læte crescant.

SAGITTARIA *sagittifolia.*
TRAPA *natans*, etiam in Malabaria habitat.
CERATOPHYLLUM *demersum.*
MARSILEA *quadrifolia.*
ALDROVANDA *vesiculosa.*
ISNARDA *palustris.*

LAP-

LAPPONIÆ Alpinæ.

BETULA *nana*, per totam Sveciam.
BARTSIA *alpina*, per Bothniam.
PEDICULARIS *Sceptrum Carolinum* per maximam partem Sveciæ.
SAXIFRAGA *Hirculus*, in paludosis cæspitosis rarius.
ANTHERICUM *calyculatum* in Gottlandia.

OELANDIÆ.

ASTRAGALUS *campestris*.
CHRYSOCOMA *Linosyris*.
RANUNCULUS *illyricus*.
POTENTILLA *fruticosa* e Sibiria.
CISTUS *œlandicus*.
ANEMONE *sylvestris*.
ADONIS *vernalis* e Borussia.
EUPHORBIA *palustris*.

GOTTLANDIÆ.

SCHOENUS *Mariscus*.
ISATIS *tinctoria*.
GERANIUM *lucidum*.
CORONILLA *Emerus*.
ALISMA *ranunculoides*.
INULA *dysenterica*.
SANGVISORBA *officinalis*.

CAROLINÆ insulæ ad Gottlandiam.

GYPSOPHILA *fastigiata* e Borussia.
ARTEMISIA *rupestris* e Sibiria et Helvetia.

FINLANDIÆ.

CENTAUREA *phrygia* in Russia vulgaris.
ASTRAGALUS *uralensis* in Sibiria frequens.
DIANTHUS *superbus* in Russia vulgaris.
ANDROMEDA *calyculata* in America septentrionali & Camtschatka, Petropolin usque spontanea.

ANGERMANNIÆ.

CARDAMINE *petræa* ex Anglia.

ROSLAGIÆ.

SAMOLUS *valerandi.*

SMOLANDIÆ.

THESIUM *alpinum.*
DRACOCEPHALUM *Ruyschiana* e Russia.

SCANIÆ e Germania & Dania.

ASTRAGALUS *arenarius* ex Anglia.
CUCUBALUS *viscosus.*
VERONICA *latifolia.*
SISON *inundatum.*
SPARTIUM *scoparium.*
ALYSSUM *incanum.*
ALLIUM *arenarium.*
HORDEUM *murinum.*
AIRA *canescens.*
AIRA *præcox.*
ACER *campestre.*
GNAPHALIUM *arenarium.*
LEONTODON *hispidum.*

HYPO-

HYPOCHOERIS *radicata.*
HYOSERIS *minima.*
CNICUS *oleraceus.*
SENECIO *erucifolius.*

VESTROGOTHIÆ.

GENISTA *tinctoria.*

HALLANDIÆ.

GENISTA *piloſa.*

BAHUSIÆ ex Anglia.

LIGUSTICUM *ſcoticum.*
LIGUSTRUM *vulgare.*

NORVEGIÆ ex Anglia.

TAMARIX *germanica.*
ILEX *Aquifolium.*
PULMONARIA *maritima.*
ERICA *cinerea.*

HORTI noſtrates permultas, ſicut diximus, plantarum ſpecies huc acciverunt, quas quidem, ſicubi natale ſolum eis idoneum fuerit, ipſas ſemet propagaſſe, in noſtraque Svecia novas veluti colonias conſtituiſſe, de induſtria animadvertimus.

HUMULUS *Lupulus* in locis creſcit ſaltuoſis Oſtrobotniæ maritimis.

BERBERIS *vulgaris* recentiori advenit ætate, ac nunc demum in ſilvis haud raro ſe præbet conſpiciendam.

PRUNUS *domeſtica* & CERASUS *avium* non lucos jam, verum prope ſilvas efficit, qua Kinnakulle ſeptentrionem vergit.

AQVILEGIA *vulgaris* in plurimis Uplandiæ locis frequentiſſima.

ACONITUM *Napellus* ad prædium Stæmshœgen prope Falunam, ea creſcit abundantia, ut exſtirpari omnino nequeat.

FRITILLARIA *Meleagris* in prato Regio Upſalienſi nunc temporis uberrime vireſcit.

LILIUM *bulbiferum* in querceto pratoſo abunde copioſeque in Sudermannia floret.

DATURA *Stramonium* in plateis Stregneſiæ æque vulgaris eſt, ac Hyoſcyamus.

TULIPA *ſylveſtris* Londini Gothorum, aliisque locis, ubi horti olim in confiniis fuere, creſcit.

NARCISSUS *Pſevdonarciſſus* in pratis Smolandiæ, Mycklanæs dictis, ſuam habet ſedem.

BUNIAS *Sibirica* in ſtercorum tumulis circa Upſaliam, quemadmodum

MARTYNIA *annua* Monſpelii hodie conſpicitur.

RESEDA *Luteola* in vallibus Londini Goth. habitat.

Hæ vero aliæque nativam in Svecia ſedem certumque domicilium a longiori tempore minime habuerunt, propterеaque citra omnem controverſiam ponendum arbitramur, multo plures hoc ævo plantas, quam ante unum alterumve ſeculum, patriam producere ſuaviſſimam.

§. IV.

Exteras demum floras inviſuri, varias quoque plantarum ſpecies, quæ temporis progreſſu, nec haud ita pridem, e longinquo, immo ab Indiæ ipſius regioni-

regionibus advenerunt civitatemque apud illas consecutæ ſunt, nullo negotio deprehendimus.

ANTIRRHINUM *Cymbalaria*, ſeculo proxime præterito ex Italia, ad Jenenſis Academiæ hortum, introduxit Prof. Rolfinkius, ubi nunc in muris ſuas egit radices, quemadmodum in urbibus etiam vicinis, vulgare eſt ac notiſſimum.

XANTHIUM *ſpinoſum* initio quidem haud Europæa fuit planta, quum in Luſitaniam translatum eſt, unde amplius ad Montem usque Peſſulanum & Veronam late ſe ſparſit.

CROTON *tinctorium* in agris Galliæ Narbonenſis & Galloprovinciæ creſcens, Europæ ſuam minime originem debet.

ERIGERON *canadenſe*, ex Siciliæ hortis proveniens, per maximam Europæ partem, ad Sveciam usque diſſeminatum, a Canada primo ortum eſt. Vid. *Ephem. Nat. Cur. Cent. VI. obſ.* 125.

OENOTHERA *biennis* illa eſt ipſa, quam Caſparus Bauhinus anno 1619 in Europa, & quidem in horto quodam Italico primum conſpexit, ex America tranſportatam. Hoc autem tempore non in Hollandia tantum, verum in plurimis etiam Auſtralis Europæ terris vulgaris eſt ac ubique creſcens.

Inter rariora Angliæ gramina, eſt GRAMEN *Eſſexienſe* vel DACTYLIS *Cynoſuroides*, quod in Europa, ad littora Luſitaniæ maritima, ſingularis inſtar graminis creſcit, e Virginia, natali ejus ſolo, trans mare invectum.

GNAPHALIUM *margaritaceum* in Anglia pariter ac Camtſchatka floret, quamquam Penſilvaniam veram agnoſcit patriam.

TRICHOMANES *pyxidiferum* inter rariſſimas Europæ filices merito numeratur, utpote quæ in Anglia

Anglia modo, quantum quidem conſtat, hucusque viguit. Sed vero in America omnino vulgaris eſt, unde ſingulari quodam caſu illam adveniſſe, haud ex vano colligimus.

TRICHOMANES *tunbrigenſe* pari fortaſſis ratione acceſſit; hujus enim ſolum natale eſt Jamaica ac regiones proximæ, nunc licet temporis in Anglia atque Italia habitet.

HIBISCUS *pentacarpus*, quæ noſtro ævo, tanquam Europæ rariſſima plantarum, in paludoſis Venetiæ creſcit, una eademque forte eſt, ac HIBISCUS *virginicus*, cui certe regioni ſuos debet natales, quamvis ſoli natura aliquantum commutatam ejus faciem præbuerit.

CYNOMORIUM *coccineum* rarioribus etjam Europæ adnumeratum eſt, atque in loco natali ipſo, Sicilia, Melita, Gadibus ac littoribus Mauritanicis prorſus infrequens. Fidem vero facit nobis Dn. Browne, quod iſthanc in Iamaica plantam, ſylveſtres inter ac vulgares creſcere ipſemet viderit. Ab inſulis itaque Americanis trans pelagum, procul in Europam ſeceſſit, quo autem duce vel comite parum liquet.

PYXIDARIAM, exiguam admodum plantam, ſuo in Tournefortio alſatico detexit Lindern, quam Mappus quidem *Montiam* male propoſitam eſſe opinabatur. Hanc vero rariſſimam ſpeciem Clariſſ.. Allioni nuper invenit, accurate deſcripſit, ac demum Linderniam appellando, depinxit, quam præter ipſum, nemo Botanicorum hucusque in Europa unquam vidit. At vero e Virginia quocunque modo advena eſt, vulgo ibidem nota, ſub nomine CAPRARIÆ *gratioloidis* propoſita in Speciebus plantarum.

MO-

MOLUCCELLAM *frutescentem* Rajus primum pagos inter Tendo & Preglio dictas, invenit, ac suo in Supplemento descripsit. Post vero quam Nobilissimus Dn. Præses speciem eximiæ hujus plantæ in herbario Magnoliano adsecutus esset, ad Clariss. Profess. Bot. Pedemont. Allionium litteras misit, quibus petiit, ut hanc in loco natali sibi subdito quæreret, qui illam quoque velut rarissimam Europæ plantam, investigando tandem invenit. Eandem hanc Illustr. reperit Dn. Præses in herbario, quod e Persia accepit Celeberr. Amstelodamensium Professor Burmannus, unde credere fas est, hac in regione vulgarem esse, et ab ave, nescio qua, in Pedemontium translatam.

HYOSCYAMUS *Scopolia*, neque minus Europæas inter singularis est, quam in Europa, & quidem in sylva Idriæ unico tantum loco reperit Dn. Scopoli, & præter hunc nemo. Huic forte cum antecedente communis est Patria, aut saltem utraque ab orientalibus terris ortum trahit.

AMARYLLIDEM *sarniensem*, ceu florem liliaceum præstantissimum venustissimumque plantarum, quum primum Angli, per australia Insulæ suæ Sarniensis littora arenosa, vulgarem crescere conspexissent, maxima adfecti sunt admiratione. Neque enim mox percipere potuerunt, qua potissimum ratione planta adeo rara et excellens apud ipsos facta sit indigena. Verum tamen explorare tandem licuit, vectoriam navem ad finem superioris seculi, e Japonia heic appulsam interiisse, quæ bulbos haud dubie hujus plantæ tulit; illos vero ex fracto navigio in maris littora casu dispersos, aptum ibi solum invenisse, indeque viguisse facile conjectare licet. In Japonia Amaryllis hæcce, plantas inter spontaneas ubique locorum habitat. vid. Douglass. Monogr.

Oryzæ

Oryzæ ſemina, quae in Italiæ nunc pluribus locis ſeritur, ſæpe ab utraque India petuntur, cum quibus aliquot etiam Graminum Indicorum ſemina in agris hujus frumenti ſata ſunt, inde hodie apud Italos adeo vulgaria facta, ut jus civitatis Italicæ, quæ ante prorſus ignota fuerunt, ultro ſibi adſciverint.

CYPERUS *glomeratus* ex India.

PANICUM *hirtellum* ex America.

PHALARIS *Oryzoides* e Carolina.

MILIUM *lendigerum* ex Java.

AMMANNIA *baccifera*, quam Arduinus *Corneliam verticillatam* appellavit, e Sina.

Ab his itaque, alia in præſenti ut taceamus, exemplis, ſat utique et abunde patet, permultas Americanas et Aſiaticas plantas recentiori ævo ſenſim adveniſſe, ac veteres Europæ plantarum exercitus haud minimo expleviſſe ſupplemento.

§. V.

Eas omnes, quae ex Europa translatæ, qua magnum certe numerum, in India orientali, America & Africa jure civitatis donatæ ſunt, plantas, in ſcenam producere, e re omnino foret; in his autem, quæ ſtrictim carptimque dicta ſunt, acquieſcere, imperata jubet brevitas. Conſulat, quæſo, benevolus & curioſus Lector *Floram Jamaicenſem* D:ni Brownii, *Floramque Capenſem* & *Zeylanicam* Generoſiſſ. D:ni Præſidis in Amœnitatibus, e quibus didiciſſe ſufficiet, permultas noviſſimo hoc tempore Europæas in Indiam immigraſſe plantas. Id vero non ideo tantum factum eſſe autumet, quod Coloniæ Europææ in plantarum culturam Europæarum, quibus cœlum hic locorum perplacuit, incubuerint, quippe varias etiam plantas, cum fœno navibus transvecto, hæ ſibi gentes adſciverunt.



CLII.

MEDICVS SVI IPSIVS

PRÆSIDE

D. D. CAR. V. LINNÉ

PRO GRADV DOCTORIS

propositus

A

IOHANNE GRYSSELIO

Nericio.

Upsaliæ 1768. Iun.

---

§. I.

Bonum corporis est, dum corpus humanum agile & cum vigore functiones suas efficiat, hoc Diæta & Medicina expetemus. Ast dantur morbi, qui Medico vix subjiciendi, puta hæreditarii, naturæ nostræ quasi consuetudine inplantati, quique nunquam fere sanari, sed quodam modo levari possunt. Hac vero occasione morbos adquisitos, qui ab erroribus diætæ originem ducunt, pertractare nobis proposuimus. Finis itaque hujus Dissertationis est, ut modus ostendatur, quo quisque vitæ sanitatisque amans, fragilis suæ Machinæ fabricam sartam tectamque conservet, aut fractam & labefactatam facile resarciat & in integrum restituat. Te itaque L. B. enixe rogo, ut conatibus meis faveas.

Qui

§. II.

Qui ſui ipſius Medicus evadere cupit, *ſex dictas res non naturales*, cum ſuis circumſtantiis ſibi cognitas habere debet; hasque per ſe, quousque ſint ſalutares, an non, pertractare conabor. Et quidem I:mo AEREM; ſine quo nemo vivere poteſt, & qui eſt cauſſa ſanitatis morborumque procatarctica, pro ejusdem uſu & abuſu, tum ambiendo corpus noſtrum afficiens.

Frigidus ſuperficies corporum et partes exteriores penetrat & contrahit, unde Tuſſis, Pleuritis, &c. oriuntur; partes interiores etjam a frigore læduntur; ideoque ad frigus in itineribus ſuſtinendum, conducit præter veſtimenta, cibus copioſior, quod quotidiana experientia indicat. Mutatio Aëris mutationes corporum inducit. *Humido* aëre impeditur transſpiratio, & per conſequens circulatio ſanguinis perturbatur, quia humiditas peregrina venas penetrat bibulas atque ſolida expandit humoresque vitiat, per inſpirationem vero humidi, pulmones quaſi muco inficiuntur, unde partes ſolidæ eorum corripiuntur, hinc Hæmoptyſis, Phthiſis. Si vero illa tempeſtas cum interveniente interdum calore ſolis continuatur, Febres criticæ, præſertim juxta loca paludoſa, graſſari incipiunt.

Calidus auget ſudorem, unde ſanguis condenſatur, & ad circulationem in minimis vaſis, minus aptus redditur; hinc facile Obſtructiones, Febres phlogiſticæ, Alvus tarda, (quod tamen injectione Ol. Olivarum emendatur) Stranguria, &c. ac dixit *Hipp. in Aph. Sect. V.* 16. *Calidum, eo frequenter utentibus, has adfert noxas: carnis effeminationem, nervorum impotentiam, mentis torporem, ſanguinis eruptiones, animi deliquia, hæc quibus mors.*

Aër

Aër ſtagnans putrefactus promovet miaſma Febrium contagioſarum; teſtis erat annus MDCCIX, Holmiæ, dum ſex hebdomadibus tranquilla tempeſtas duraret, ſub Peſte graſſante. Ejusmodi aëris tranquillitas & ſtagnationes avertuntur campanarum ſonitu & aërem igne purificando, quo rarefactus evadat, ac purus in prioris ruat locum, ut in motum excitetur & purgetur. Picis deflagratio eundem præſtat effectum, ob particulas acidas ei conceſſas, quæ cum aëre ſe communicant hunceque corrigunt. Hiſce temporibus, etiam ac nebuloſis aliisque inſalubribus atque contagioſis tempeſtatibus a diris Febribus exanthematicis, præſervatio matutinis horis, inſtitui debet, ex gr. in Peſte cum vino Rhenano ℔ß., vel aceto cum Ruta, aut Sulphure Scr. I. ad Scr. II, nec non Ambroſiacis Maſticatoriisque, unde contagium declinabitur.

§. III.

II:do INGESTA. *Qualis eſt cibus talis chylus, qualis chylus tales humores, quales humores tales ſunt ſpiritus, quales ſunt ſpiritus & humores talis eſt nutritio, motus & ſenſus, & per conſequens vita & ſanitas. Hoffm. fund. med.* Motus et cibus inter ſeſe combinari debent, nam alter altero carere nequit. *Victus* eſt triplex: *plenus*, *mediocris & tenuis*. *Plenus* in durioribus Carnibus ſalitis & infumatis, Vino fortiori, Cereviſia ſpirituoſiori ac craſſiori, & quæ ſunt reliqua ad digeſtionem minus apta ciborum genera, conſiſtit; attamen hic victus laborantibus & majori motione utentibus prodeſt, utpote qui robuſta ad ejusmodi ingeſta digerenda habent corpora, ut cibus aſſumtus facile in chylum vertatur. *Tenuis* vero victus, ex Carnibus mollioribus recentibus, juſculis, Vino & Cereviſia tenui, conſtat, & debilioribus ventriculis convenit. Si hi, nempe debiliores, in exceſſu peccent diætæ,

Phthi-

Phthisici aut Hectici evadunt, ideoque nec nimis tenuis, nec nimis plenus victus sit, sed *Mediocris*, qui vires in eodem conservat statu; huc pertinet illa regula: *Modicus cibi, Medicus sibi*; & *medium tenuere beati*. A pleno victu motionem negligentibus, Plethora (ita abundantia sanguinis nominatur), a tenui vero cacochymia, infertur. His crediderunt Medici antiqui, plerosque morbos originem debere, & non sine caussa. A pleniori enim Plethora, Colica, Inflammationes, Febres Phlogisticæ, Hæmorrhagiæ excitantur; his in malis venæ sectio habet locum, ast in Febribus Phlogisticis potissimum venæsectio cum nitro.

Polysarcia sæpe Plethoræ est assecla; ubi vero hæc dominium habet, producit Asthma, Apoplexiam, Herniam, Hydropem, Nephritidem, Erysipelas, Intertriginem &c. hæcque mala ad avertenda, victus tenuis & motus ordinatus instituatur; quod etjam *Hipp.* hisce verbis indicare vult: *Sanitatis studium est, non satiari cibis & impigrum esse ad labores*. Polysarciæ oppositum est Marasmus. Caussæ hujus efficientes sunt, Victus nimis tenuis, Potus aquæ, coffeæ, Labor mentis et corporis, nimiæ Evacuationes, Frigus, Vigiliæ, Acida &c. unde Melancholia, Ostocopus, Arthritis, Leucophlegmatia, Oedema, Cachexia, Obstipatio alvi, Scirrhi &c. oriri solent. Attamen Scorbuticis, Oedematosis, frigidis &c. medicamenta acria & orgastica inserviunt.

Signa bonæ digestionis sunt, corporis vigor & levitas, alvus aperta, nulla urinæ retardatio, hilaris animus, nulla tormina vel spasmi ventris, nec appetitus prostratus, & salivæ oris affluxus ad cibum, dum adest tempus edendi.

Potus etiam iisdem fere modis valetudinem nostram infectatur. Aqua potus est naturalissimus,

& ſi parum vini inſundatur, ſaluberrimus, attamen tenuis Cerevisia bene fermentata, etiam inter potiones optimas cenſetur. Majores noſtri aquam ex fontibus ſuis hauriebant, diuque vixerunt, inde enim ſanguis diluitur, & ad circulationem aptior redditur. Ex his largiori copia utendum eſt, non quidem ſimul & ſemel, ſed parum & ſæpe. Tantum ſcilicet cibi & potionis adhibendum, ut reficiantur vires, non reprimantur, & quantum cibi ſorbilis opus eſt ad ingeſta digerenda, atque diluenda; neque vero heic motus eſt negligendus, quod quoque *Hipp.* oſtendit dicendo: *in motu & potu conſiſtit ſanitas. Parcior potus* ingeſta reſolvere non valet, unde Obſtructiones, Sanguinis craſſities, Transſpirationis, Urinæ Salivæque imminutio, nec non morbi Chronici ſuos referre ſolent natales. Potus ſpirituoſi inter epulandum, acre in ſanguine excitant, digeſtione ac chylificatione vero facta, modice tamen ſumti, proſunt. *Frigidus* ſudantibus, Febribusve affectis nocet; experientia quippe docet, inflammationem ventriculi, & tandem Gangrænam, hinc oriri, nec non Spaſmum, Phthiſin, Hydropem, Pleuritidem &c.; tali in caſu motus quidem mox eſt adhibendus, ut corpus priorem calorem retineat, ac potus eo citius ſuam refrigerandi perdat vim; venæ ſectio quoque Plethoricis commendatur; alias ſi quis in hanc regulam impingat, infuſo Millefolii & Meliſſæ uti poteſt; herba Thea eandem adfert efficaciam, aſt vero abuſus hujus inducit Paralyſin, teſtimonio Chinenſium.

§. IV.

III:o SOMNVS. *Aptitudo ad ſenſus & motus voluntarios libere exercendos in ſanis organis, vigilia vocatur: ineptitudo ad eosdem & quies omnium cum*

 ſanis

ſanis organis ſomni nomen fert. Hall. Phyſ. cap. XX. Somnus pinguedinem accretionemque corporis efficit, fibras relaxat, viresque & ſpiritus animales reſtaurat; in Triſtitia & Melancholia plus facit, quam omnia medicamina, quia in ſomno reſpiratio habet æqualitatem, unde aura vitalis magis corpori ſub ſomno communicatur; attamen abuſus ſomni, libidinem, laxitatem, torporem, debilitatem, ſtupiditatemque adfert.

In tergo cubare Nephriticis nocet, tunc enim renes in quiete verſantur, omnisque cryſtalliſatio ſub quiete fit. Aſthmatici, & qui Ephialte laborant, parciori cœna a cibis flatulentis, & farinaceis omnibus, recenti Cereviſia fermenteſcente &c. abſtinere debent; in quo verſus *Scholæ Salernitanæ* conſentire videntur; *Ex magna cœna, ſtomacho ſit' maxima pœna; ut ſis nocte levis, ſit tibi cœna brevis.*

Infantibus licitum eſt plus ſomni capere quam Pueris, his vero plus quam Adoleſcentibus, & ſic porro, adeo ut in Adulta & Virili ætate, valeat trita illa regula: *Septem horas dormiſſe ſat eſt.* In Febribus vero magnam utilitatem præſtat, & ſi abeſt, refectionis ergo, Opio, ſumma tamen cum cautela ad gr. *j* vel gr. *iſs*, ſeu Laudano liquido ad guttas XII. dato, excitari ſolet; Crocus ad tempora cum ſucceſſu etiam applicatur &c. Alioquin omnia Medicamenta Graveolentia & Svaveolentia, huc pertinent.

Vigiliæ nimiæ Maraſmum inducunt Cerebrumque indurant, unde Memoriæ debilitas, Nervorum retardatio & Virium proſtratio; hinc ſequitur: quod inter vigilias & ſomnum debeat eſſe analogia quædam. Dixit *Hipp. Somnus, vigilia, utraque modum excedentia, morbus.*

§. V.

§. V.

IV:o MOTUS *fortior ante assumtos cibos melior quam post illos. Hoffm.* Motus spiritus animales restaurat. In circulatione sanguinis consistit vita, illa autem a motu externo augetur, ea transpiratio promovetur. Tempore nocturno, vel ante ortum vel post occasum solis, admittendus non est, quia maximæ exhalationes terrarum aquarumque tunc in atmosphæra existunt, eamque ob caussam nec juxta loca paludosa, nec in denso aëre. Motus vero una alterave hora ante prandium institutus, ciborum digestione ad maximam partem absoluta, ut maxime proficuus, magnopere commendatur, quod *Celsus* confirmare videtur, dum inquit: *post satietatem nihil agendum*, & *Hipp. Labores cibum præcedant;* & alio in loco: *fame urgente non est laborandum.* Quod *Sennertus* his explicat verbis: *ubi fames, vel ubi cibi adhuc crudi sunt in corpore, non laborandum.* Motus cibo proportionari debet; in pleno itaque victu major, in tenui vero minor erit. Laborantes, motu robustiora corpora, bonamque valetudinem sibi acquirunt, inde namque nervorum corroboratio ac plurium morborum cura. Magno cum successu, in Cachexia, Glandularum tumoribus, Acido ventriculi, Hypochondriasi, Torminibus, Spasmis, Convulsionibus, Calculo, Podagra, Arthritide, Melancholia, Asthmate, Phthisi, Leucophlegmatia, Leucorrhœa, Menstruis suppressis instituitur, id quodam modo affirmat *Hipp. Homo non bene valet nisi laboret.* Fortior vero motus noxius est, callositates inducit & tendines in cartilagines mutare valet, ac vires enervat, sed ad sudorem usque continuatus, optimus censetur.

Motionum diversa dantur genera, eundemque fere producentia effectum, attamen Equitatio cæ-

teris præfertur, in ea enim circulatio in omnibus vasis vi impellitur, ac stagnantes humores hinc excitantur; gracilibus vero hominibus moderatior, robustioribus major erit; sanis autem omnibus, ad sanitatem conservandam, deambulatio et equitatio sufficit.

Motus vero animi fortiores & labor mentis continuus, senium accelerant, utpote qui cerebrum indurant, quare decantatus ille versus:

Interpone tuis interdum gaudia curis,

in regula quippe hacce diætætica, *Variatio delectat*, fundatus, observari meretur. Plura de his vide §. VII. Motus & quies inter se variare debent; a quiete stagnationes in minimis vasis existunt, unde Oedema, Scorbutus, Cachexia, impedita transpiratio, Calculus &c. oriuntur. Medicamentis utentes vero quieti esse debent, quo medicamina suum eo melius præstare valeant effectum. Motus & quies se invicem curant, quod *Hipp.* hisce verbis confirmat: *In omni corporis motu*, inquit, *quando dolere cœperit, interquiescere, statim lassitudinem curat.* Immodicus motus spiritus dissipat, vires dejicit, corpus languidum reddit.

§. VI.

V:to. EXCRETIO. *Si illa quæ excerni debent, convenienti tempore, loco & mensura excernantur, magnum profecto corpori humano inde exsurgit præsidium*, dicit *Waldschm.* in sua *Med. Rat. p.* 43. *Excretio* respondeat ingestis, & est illa quidem duplex, vel *sensibilis* vel *insensibilis.* Illa per superiora & inferiora, hæc per totum corpus absolvitur, his vero viis consuetis obstructis, gravissimis morbis aperitur janua, quales sunt: Asthma, Apoplexia, Hydrops, Icterus &c.

Ejus-

Ejusmodi casu, cibus erit tenuis, & longius intervallum temporis inter edendum instituetur, quo ventriculus adsumtos cibos melius digerat, & putredo hoc modo evitetur; heic quoque motio quam maxime est necessaria, & si alvus sit tarda, medicamentis eccoproticis, sale angl. unc. 1. in aqua soluto; pilulis Ruffi, cet. utendum. Indicia suppressæ transpirationis sunt Lassitudo, Appetitus prostratus & subtristis animus. *Perspiratio insensibilis* plus eliminat, quam ceteræ excretiones, & augetur hæc bono cum successu Assæ fœtidæ, summe diaphoreticæ, usu; quæ etiam in Passione Hypochondriaca, a Nobiliss. D:no Archiatro atque Præside, maxime commendatur, ac hilaris animus; ceteris omnibus præstat Motus.

§. VII.

VI:o ANIMI *pathemata*. *Verulamius* horum effectus optime descripsit.

Varii dantur affectus animi, ut Ira, Metus, Tristitia, Invidia, &c. quorum immoderatus usus, sanguinis humorumque turbat mixtionem, ac spirituum inæqualem reddit motum, Obstructiones generat, unde caussa plurium morborum existere, vitamque abbreviare potest. *Metus* Syncopen, Epilepsiam, Palpitationem cordis, Paralysin, Abortum &c. efficere valet; *Ira* Erysipelas, Inflammationem ventriculi, Icterum, Arthritidem, Colicam, &c. *Tristitia* Melancholiam, Hypochondriasin, cum pluribus.

Cum vero accidat, ut affectus aliquis morbum inducat, contrario affectu curari potest, modo mox excitetur, sin minus Anodynis affectum

 demul-

demulceat, Vini hauſtu nervos corroboret. In uſu eſt aquam frigidam bibere, ſed magnum periculum ſecum fert, morbi enim §. III. recenſiti, inde oriri ſolent. Potus Theæ tolerari quidem poteſt, aſt in Triſtitia & Mœrore, Vino quodam generoſo cum quibusdam guttulis Eſſ. Ambræ & ſale volatil. oleoſ. Sylvii uti convenit, unde ſanguis, utpote hiſce animi affectibus perturbatus & retardatus, ad circulationem aptior redditur. *Hilaris* vero *animus* ſecretiones corporum, ut & vigorem ſanitatemque promovet.

§. VIII.

Specialiter vero circa corpora humana obſervandum jam venit: Si quis ſanitatem præſervari cupit, ante omnia notitiam corporis ſui, ſibi acquiret & diligenter ſex res dictas non naturales perſcrutabitur, pro ut cuique ſalutares ſint an ſecus? ac mutationes corporis cum ſuis circumſtantiis in quocunque caſu recordari, nec aliorum naturam, ſed ſui ipſius ſequi & contemplari debet, *conſuetudo enim eſt quaſi altera natura*; ſemper itaque illius *Hipp.* memor: *corpus differt a corpore, natura a natura & temperamentum a temperamento.* Natura hoc modo cognita, diæta facile patet, qualis ſit inſtituenda, ne ſubita mutatio deinde noxam adferat. Per naturam hoc in loco, vires corporum & œconomia motuum intelliguntur; hanc ad exquirendam, ſequentes neceſſe eſt ſcias circumſtantias, bonam naturam & valetudinem indicantes, ut 1:mo Conſtitutio parentum, nam fortes procreantur a fortibus, & omne parit ſui ſimile. 2:do. Denſæ fibræ atque muſculi. 3:o. Dentium albedo. 4:o. Somnus profundus, ſed non ſtertoroſus. 5:o Reſpiratio levis. 6:o Tolerantia laborum. 7:o. Alvus ſiccior. 8:o. Nulli affectus animi vehementiores

tiores &c. Mala vero diſpoſitionis ſigna, ſunt his contraria.

Hoc loco etiam cauſſæ ſenectutem & mortem accelerantes enumerari debent, quæ ſunt, nimius labor, calor, acria, affectus vehementiores animi, potiones ſpirituoſiores & libido. Omnibus ideoque hæc ſervanda eſt lex, mediocritatem eſſe tutiſſimam, vel cum *Hipp. omne nimium naturæ eſt inimicum.*

§. IX.

Principiis obſta, ſero medicina paratur,
cum mala per longas invaluere moras.

OVID.

Jam ideoque pertractari debet, quomodo unusquisque morbo quodam incipiente, vitam ſuam inſtituat, antequam radices egerit, ac medicus accerſitus venerit? Inprimis itaque obſervetur, quod morbi ſint aut *Acuti* aut *Chronici:* hi valde inter ſeſe diſcrepant, quam ob rem diverſam requirunt curam. Si vires ægri morbo acuto laboranti præſto ſint, 1:mo. Venæſectio in acutiſſimis eſt inſtituenda, nitrumque ad ſanguinem ſolvendum, in potione quadam calida & copioſori dari poteſt; ſpirituoſa heic nocent. 2:do Ad vias excretionum eſt attendendum; quam ſcilicet viam natura in morbis eligere conatur ut ſublevetur & ſecetur; ex gr. aut per tranſpirationem, ſudorem, urinam, excrementa, aut alio quocunque modo convenienti. *Tranſpiratio* calida Theæ potione augetur; *Urina* decocto ſoliorum Petroſelini, & ſic ulterius. Proinde dies critici, nempe VII. XI. & XIV. accurate adnotandi ſunt, quomodo natura & morbus tunc ſeſe oſtendunt, ſi criſes

B 4 ſiant,

fiant, an perfectæ ſint? His enim diebus vita periclitatur. *Si nullæ criſes fiunt*, ait *Hipp. laborem ſignificant & morbi longitudinem & recidivas.* 3:o. his etiam in morbis, nempe Acutis, temperantibus medicamentis utendum eſt, ne natura perturbetur; ſic conveniunt heic, Cremores varii ut Avenæ, Hordei, qui cum ſyrupo quodam acetoſo aut ſucco Citri ad gratum ſaporem infundi poſſunt, ne ægrum potionis ſimplicis tædeat, & eo copioſius potare valeat, unde ſanguis diluitur, atque circulatio liberior efficitur. Præterea transſpiratio ſenſim eſt elicienda, in quem finem potiones erunt calidæ & calor loci ſemper moderatus tenebitur. Sub calore vero febricitantis, alvus erit aperta, ne excrementa putreſcant, & maſſa ſanguinea inde inficiatur. Validiora Purgantia ſeu Draſtica in hiſce morbis valde ſunt noxia, ſed Eccoprotica, ut cremor Prunorum dulcium, Ptiſana ex radicibus aperientibus, aut clysmata leniora cæteris ſunt præferenda.

Morbi vero *Chronici*, neque Medico neque medicamentis facile obediunt, quoniam in corpore noſtro altius radicati ſunt; attamen circa hos ſequentes regulæ obſervari poſſunt. 1:mo. Qui ſpaſmo laborant inteſtinorum, alvum laxabunt enematibus. 2:do. Plethorici bis de anno venam ſecabunt. 3:o. Sal. volat. oleoſ. Sylvii, parva in doſi, matutinis horis capient.

Generaliter vero diluentia huc pertinent, ut *Aqua pura & Aquæ Minerales*, quæ in Arthritide, Calculo, Rheumatismo, Menſtruis ſuppreſſis &c. conveniunt, ſed noxiæ ſunt iis, qui exulcerationes pulmonum habent. *Aquæ Spadanæ*, inter optimas cenſentur aquas, quippe quæ

quæ ægrotum in Diarrhœa chronica, Hæmorrhoidibus &c. roborant. *Aquæ Selteranæ cum lacte* in exulcerationibus pulmonum, ut Phthisi, etiam in Hysteria, Arthritide, Febribus lentis & Hemitritæa, non sine fructu adhibentur. Vide *Hoffm. Opuscula Phys. Med. Tom. II. tractat. ultim.* Sic breviter a me jam allatis modis, malo non tantum obviam ibitur, sed & auxiliante Deo feliciter illud depelletur.



CLIII.

MORBI NAUTARUM INDIAE

QUOS

PRÆSIDE

D. D. CAR. v. LINNÉ

PRO GRADU DOCTORIS

proposuit

CAROLUS HENRICUS WÄNMAN

Uplandus

Chirurg. primar. Suec. Soc. Nav. Indiae

Reg. Acad. Scient. Adscriptus.

Upsaliæ 1768. Nov. 5.

B. L.

Ante breve tempus ex itinere Indico redux, easdem quantocius repetere terras jubeor. Temporis igitur angustia ex collectionibus meis & observationibus, sub longa hac & perdifficili navigatione, apud ægrotantes institutis, multa depromere vetat. Fructus autem, quos jam indies colligo, tranquillum aliquando nactus portum, uberius exponere conabor. Hanc interim pagellam, tempori magis quam desiderio meo adcommodatam, Tuæ, Candide Lector, fidei ac censuræ benigniori commendo.

Th. I.

Th. I.

MORBI CHRONICI in itinere navali, a caloris & frigoris viciſſitudinibus, indeque interrupta transſpiratione, exſurgunt varii, utpote *Icterus*, *Aſcites*, & *Tympanites*, quos morbos antecedunt alvi obſtipatio, & excretionum alvinarum color mutatus.

Th. II.

FEBRIUM EXANTHEMATICARUM Indiæ Orientalis, Chinæ finitimæ, peſſima eſt *Miliaria*, tam *Rubra* quam *Alba*, quæ videtur Indiæ *Endemia*; minus tamen frequens eſt indigenis, quod aquæ ſalſæ lavacro quotidie fere utantur, quam nautis noſtris, ejusmodi lotione vacantibus. Hanc effici crederem a calore intenſiſſimo diei, cum frigore humido penetrante noctis alternante; unde poris apertis corpus bibulum attrahit copioſius aërem vitiatum, ſub ipſo ſomno.

Th. III.

FEBRES EXACERBANTES, imo etjam rebelles TERTIANÆ, ſæpius nautas noſtros infeſtant. Has derivo ab aqua ſub itinere putreſcente, non modo ad ſentinam navis, verum etjam in ipſis doliis, pro potu quotidiano aſſervatis, peſſimumque halitum ſpirantibus.

Th. IV.

CHOLERA INDICA *Sauv. Noſ. Meth.* IX. *p.* 131. frequentiſſimus morbus nautarum eſt, cum primum Indias attigere. Oritur hæc a mutata diæta, & inprimis ab eſu carnium Teſtudinum, & fructuum præcipue Citreorum minimorum & aciſſimorum, quæ nomine *Lemtie's* proſtant in China.

na. Quorum ſuccus loco Limonii adhibetur in pauperiorum confectione Polopuntiæ. Curatur opio, Decocto oryzæ & althææ.

Th. V.

VERMES ſe comites ſiſtunt plurimis morbis, qui propagantur procul dubio ab aqua diu aſſervata & putreſcente hauſta, cum hæc vermiculis numeroſiſſimis ſcateat. Hos inter *Tæniam* obſervavi, eamque debellavi pulvere Lithanthracis in ſpir. vini hauſto.

Th. VI.

PERIPNEUMONIA levior, circa Novembrem in China, infeſtabat plurimos, dum aër e calido in frigidiorem tranſibat. Inſurgebat hæc cum febre levi, pulſu citatiore ſed debili, ſuffocatione pectoris, & exſpuitione copioſiſſima, rarius licet cruenta. Hanc domui Veſicatorio amplo pectoris, ſcilla, & kerme minerali.

Th. VII.

SYPHILIS in China magis exteriora, quam interiora corporis occupat, relictis ſæpe genitalibus & faucibus.

Th. VIII.

SCORBUTUS, imprimis ſub reditu ex Indiis, ſuperato Capite Bonæ Spei, plurimos vexabat. Mitigatur vero eſu carnium Teſtudinum, quas copioſe legimus ad inſulam Adſcenſionis; ubi hæ, in Calce Teſtudinea ſub nocte, ova ſua deponunt; at vero recrudeſcit magis Europam propius, ultimo in itinere infeſtiſſimus. Tollitur in primis potu Polopuntiæ & fructibus horæis.

CLIV.



CLIV.

FLORA ÅKERÖENSIS

PRÆSIDE

D. D. CAR. V. LINNÉ

propoſita

A

CAROLO JOH. LUUT

Sudermanno.

Vpſaliæ 1769. *Decembr.* 23.

Prædium Åkerö ſitum eſt in territorio Oppunda Sudermanniæ atque parœcia Bettna, & continetur inſula, quæ claris lacus Yngari cingitur undis.

A Nycopia circiter tria cum dimidio ad occidentem abeſt milliaria.

Inſula ipſa in longitudinem patet tertiam circiter milliaris partem.

A continenti, ubi ponte vectorio trajicitur, ſunt fere ter centum & millia paſſuum, ad fretum vero Ralſtadenſe non niſi teli jactum diſtat, adeo ut prædium hoc a natura ipſa quaſi circumſeptum, ſi

ſi fundos, qui huic ſubjacent, lacui vicinos exceperis, ab aliis accolis ſeparatum ſit.

Pars inſulæ ad orientem vergens, ubi ædificia poſita ſunt, a reliqua lata foſſa, alnis conſita, abſciſſa eſt.

E palatio adeo magnifice exſtructo, ut par quidquam in tota vix reperiatur provincia, lætiſſimus proſpectus eſt non modo in lacum, cujus littora templis villisque ornantur, verum etiam in inſulam, quæ hortis, agris, pratis & demum ſilvis decora eſt.

Ab antiquis inde temporibus clariſſimi Sueciæ magnates inſulam poſſederunt, inter quos Bielkiorum, Sparriorum atque Baneriorum præfulgent nobiliſſima patriæque per quam cara nomina. Hodie illam tenet Regis Regnique Senator, Illuſtriſſimus Comes CAROLUS GUSTAVUS TESSIN, qui, magna cum gloria ſummis in republica functus honoribus, eam refugium ſenectutis elegit, feſſus continuis, iisque graviſſimis pro communi ſalute laboribus, ut, exemplo Scipionum aliorumque illuſtrium Romanorum, ultimum ætatis quieti dedat, atque liberiorem in rurali innocua vita reſpiret auram, ſeque delectet cogitationibus de Deo, de ſtupendis naturæ miraculis, de rerum mundanarum inconſtantia & viciſſitudine.

Pluribus facile Plantis jucunda hæc ſuperbit inſula, quam alia quæcumque in tota Suecia. Maximam igitur exinde percepi voluptatem, plantas annotare, quæ hic gignuntur; præcipue cum Illuſtriſſimus Comes & Senator permultas, ex diſſitis allatas plantas regionibus plantari curaverit peregrinas, quæ jus civitatis jam adeptæ ſunt.

In-

Ingratissimus certe habendus essem, nisi magna animi veneratione publice significarem, quam incredibili fere studio Viri Præclarissimi, D:us Mag. *Andreas Tidström*, Laborator & Adjunctus ad almam Academiam Upsaliensem, & admodum Reverendus Dominus *Petrus Osbeck*, Pastor Hasloesiæ in Hallandia, quas hæc fert insula, investigaverint plantas.

Harum ego plantarum, brevius ut fiat, solum infra sisto nomina generica & trivialia ex D:i Præsidis scriptis, præcipue ex Flora Ejus Svecica, edita A:o 1755.

MONANDRIA.

Hippuris	1. *vulgaris.* P	*aliunde allata.*
Callitriche	2. *verna.* A	*in fossis.*
	3. *autumnalis.* A	*in fossis.*

DIANDRIA.

Ligustrum	4. *vulgare.* *	*in hortis.*
Circæa	5. *alpina.* P	*in silva sponte.*
Veronica	6. *longifolia.* P	*e W-gothia accersita.*
	7. *spicata.* P	*in glabretis.*
	8. *officinalis.* P	*in silvis.*
	9. *Beccabunga.* P	*in inundatis.*
	10. *serpyllifolia.* P	*passim.*
	11. *scutellata.* P	*in inundatis.*
	12. *Chamædrys.* P	*in pratis.*
	13. *arvensis.* A	*in agris.*
	14. *agrestis.* A	*in agris.*
	15. *verna.* A	*in montibus.*
Lycopus	16. *europæus.* P	*ad aquas.*
Anthoxanthum	17. *odoratum.* P	*in pratis.*

TRI-

TRIANDRIA.

Valeriana	18. *officinalis.* P	*in ſubhumidis.*
Iris	19. *Pſeudacorus.* P	*ad rivulos.*
Schoenus	20. *albus.* P	*in cæſpitoſis.*
Scirpus	21. *paluſtris.* P	*ad littora.*
	22. *acicularis.*	*ſub littoribus.*
	23. *lacuſtris.* P	*intra littora.*
Eriophorum	24. *polyſtachyon.* P	*in cæſpitoſis.*
	25. *vaginatum.* P	*in uliginoſis.*
Nardus	26. *ſtricta.* P.	*in glabretis.*
Phalaris	27. *arundinacea.* P.	*in ſubhumidis.*
Phleum	28. *pratenſe.* P.	*in pratis.*
Alopecurus	29. *pratenſis.* P	*prat. ſubhumid.*
	30. *geniculatus.* P	*in ſtagnantibus.*
Milium	31. *effuſum.* P	*rad. montium.*
Agroſtis	32. *ſpica venti.* A	*in agris.*
	33. *arundinacea.* P	*in ſylvis.*
	34. *rubra.*	*ad ripas.*
	35. *canina.* P	*in pratis.*
	36. *ſtolonifera.* P	*in pratis.*
Aira	37. *cærulea* P	*in cæſpitoſis.*
	38. *cæſpitoſa.* P	*in pratis.*
	39. *flexuoſa.* P	*in rupibus.*
Melica	40. *nutans.* P	*inter rupes.*
Poa	41. *aquatica.* P	*e Lechöa allata.*
	42. *trivialis.* P	*in pratis.*
	43. *anguſtifolia.* P	*in paſcuis.*
	44. *pratenſis.* P	*in pratis.*
	45. *annua.*	*ad vias.*
	46. *compreſſa.* P	*in tectis.*
	47. *nemoralis.* P	*in umbroſis.*
Briza	48. *media.* *	*in pratis ſiccis.*
Dactylis	49. *glomerata.* P	*paſſim.*
Cynoſurus	50. *criſtatus.* P	*in vivario.*
Feſtuca	51. *ovina.* P	*in ſiccis.*
	52. *rubra.* P	*paſſim.*

	53. *elatior.* P	*in pratis.*
Bromus	54. *fluitans.* P	*in foſſis.*
	55. *ſecalinus.* A	*in agris.*
	56. *arvenſis.* A	*in agris.*
	57. *tectorum.* A.	*in tectis.*
	58. *giganteus.* P	*e Kinnekulle.*
	59. *pinnatus.* P	*in rupibus.*
Avena	60. *fatua.* P	*in agris.*
	61. *pratenſis.* P	*in juniperetis.*
Arundo	62. *phragmites.* P	*in lacu.*
	63. *epigejos.* P	*in rupibus.*
	64. *Calamagroſtis.* P	*in ſubhumidis.*
Lolium	65. *perenne.*	*ad verſuras.*
Elymus	66. *caninus.* P	*inter hortum & lacum.*
Hordeum	67. *murinum.* A	*e Malmogia.*
Triticum	68. *repens.* P	*in cultis.*

TETRANDRIA.

Scabioſa	69. *arvenſis.* P	*ad agros.*
	70. *Succiſa.* P	*in pratis.*
Aſperula	71. *odorata.* P	*in horto ſata.*
Galium	72. *verum.* P	*ad vias.*
	73. *boreale.* P	*paſſim.*
	74. *Mollugo.* P	*ad offic. laterar.*
	75. *paluſtre.* P	*in paludibus.*
	76. *uliginoſum.* P	*in uliginoſis.*
	77. *Aparine.* A	*inter ſata.*
Plantago	78. *major.* P.	*ad vias.*
	79. *media.*	*in pratis.*
	80. *lanceolata.*	*paſſim.*
Centunculus	81. *minimus.*	*allat. e Lesbœa.*
Alchemilla	82. *vulgaris.* P	*paſſim.*
Cuſcuta	83. *europæa.* A	*in Lupuleto.*
Potamogeton	84. *natans.* P	*in lacu.*
	85. *perfoliatum.* P	*in lacu.*
	86. *lucens.* P.	*in lacu.*

	87. *gramineum.*	*in lacu.*
	88. *pusillum.*	*in paludibus.*
Sagina	89. *procumbens.* A	*in montibus.*
Tillæa	90. *aquatica.* A	*ad lacum.*

PENTANDRIA.

Myoſotis	91. *ſcorpioides.* P	*paſſim.*
Lithoſpermum	92. *officinale.* P	*allatum.*
	93. *arvenſe.* A	*in agris.*
Anchuſa	94. *officinalis.* B	*in ruderatis.*
Cynogloſſum	95. *officinale.* B	*in ruderatis.*
Pulmonaria	96. *officinalis.* P	*ex Hæsſelæng.*
Symphytum	97. *officinale.* P.	*ad villam.*
Aſperugo	98. *procumbens.* A	*in fimetis.*
Primula	99. *veris.* P	*in pratis.*
Lycopſis	100. *arvenſis.* A	*in agris.*
Menyanthes	101. *trifolia.* P	*ad fontes.*
Hottonia	102. *paluſtris.*	*in foſſis.*
Lyſimachia	103. *vulgaris.* P	*ad littora.*
	104. *thyrſiflora.* P	*ad rivos.*
Convolvulus	105. *arvenſis.* P	*in agris.*
Polemonium	106. *cæruleum.* P	*in horto.*
Campanula	107. *rotundifolia.* P	*paſſim.*
	108. *perſicifolia.* P	*in pratis.*
	109. *latifolia.* P	*in nemoribus.*
	110. *Trachelium.* P	*e Kinnekulle.*
Lonicera	111. *Xyloſteum.* B	*in glabretis.*
Verbaſcum	112. *Thapſus* *	*in ſylvis.*
	113. *nigrum.* *	*ad vias.*
Datura	114. *Stramonium.* A	*ad domos.*
Hyoſcyamus	115. *niger.* A	*ad domos.*
Solanum	116. *nigrum.* A	*ad vias.*
	117. *Dulcamara.* *	*ad ſepimenta.*
Rhamnus	118. *Frangula.* *	*in humidis.*
Ribes	119. *rubrum.* *	*in horto.*
	120. *nigrum.* *	*in horto.*

Hede-

	121. *Uva criſpa.* *	*in horto.*
Hedera	122. *Helix.*	*aliunde allata.*
Aſclepias	123. *Vincetoxicum.* P	*in Oxhagen.*
Herniaria	124. *glabra.* P	*in montibus.*
Chenopodium	125. *Bonus Henr.* P	*ad villam.*
	126. *rubrum.* A	*ad ſtabulum.*
	127. *album.* A.	*in agris.*
	128. *viride.* A	*in cultis.*
	129. *glaucum.* A	*ad Hybernaculum.*
	130. *Vulvaria.* A	*in horto ſponte.*
	131. *polyſpermum.* A	*in cultis.*
Ulmus	132. *campeſtris.* *	*in pratis.*
Gentiana	133. *Amarella.* A	*in apricis.*
	134. *campeſtris.* A	*in campis.*
Tordylium	135. *Anthriſcus.* B	*ad verſuras.*
Daucus	136. *Carota.* B.	*in argilloſis.*
Conium	137. *maculatum.* B	*in agris.*
Selinum	138. *paluſtre.* P	*in paludibus.*
Athamanta	139. *Libanotis.* P	*in aridis.*
Heracleum	140. *Sphondylium.* P	*ad ſepimenta.*
Angelica	141. *Archangelica.* B	*in horto.*
Sium	142. *latifolium.* P	*ad littora.*
Phellandrium	143. *aquaticum.* B	*in foſſis.*
Æthuſa	144. *Cynapium.* A	*in cultis.*
Chærophyllum	145. *ſylveſtre.* A	*in pomario.*
Carum	146. *Carvi.* B.	*ad vias.*
Pimpinella	147. *ſaxifraga.* P	*in ſiccis.*
Ægopodium	148. *Podagraria.* P	*in pomario.*
Viburnum	149. *Opulus.* *	*in uliginoſis.*
Sambucus	150. *nigra.* *	*in horto.*
Alſine	151. *media* A.	*in cultis.*
Parnaſſia	152. *paluſtris.* P	*in paludibus.*
Statice	153. *Limonium.* P	*allata.*
Linum	154. *catharticum.* A	*in elevatis.*
Droſera	155. *rotundifolia.* P	*in paludibus.*
Myoſurus	156. *minimus.* A	*in ſterilibus.*

HEXANDRIA.

Allium	157. *urſinum.* P	*ſatum.*
	158. *oleraceum.* P	*in ſiccis.*
Fritillaria	159. *Meleagris.* P	*ſata.*
Ornithogal.	160. *luteum.* P	*in cultis.*
Convallaria	161. *majalis.* P	*in pratis.*
	162. *Polygonatum* P	*in montibus.*
	163. *bifolia.* P	*in aſperis.*
Acorus	164. *Calamus.* P	*in alneto.*
Juncus	165. *conglomeratus.* P.	*inundatis.*
	166. *effuſus.* P	*inundatis.*
	167. *filiformis.* P	*inundatis.*
	168. *bulboſus.* B	*in areis.*
	169. *bufonius.* A	*in paludoſis.*
	170. *piloſus.* P	*in ſylvis.*
	171. *campeſtris.* P	*in campis.*
Berberis	172. *vulgaris.* *	*in ſylvis.*
Peplis	173. *Portula.* A	*in foſſis.*
Rumex	174. *criſpus.* P	*in pratis.*
	175. *acutus.* P	*ad villam.*
	176. *Acetoſa.* B	*in pratis.*
	177. *Acetoſella.* B	*paſſim.*
Scheuchzeria	178. *paluſtris.* B	*in palude.*
Triglochin	179. *paluſtre.* P	*in inundatis.*
Alisma	180. *Plantago aquatica.* P	*ad littus.*

HEPTANDRIA.

Trientalis	181. *europæa.* P	*in ſylvis.*

OCTANDRIA.

Epilobium	182. *anguſtifolium.* P	*in prato.*
	183. *montanum.* B	*in montibus.*
	184. *paluſtre.* P	*in paludibus.*
Vaccinium	185. *Myrtillus.* P	*in ſylva.*

Erica

	186. *Vitis idæa.* P	*in ſylva.*
	187. *Oxycoccus.* P	*in palude.*
Erica	188. *vulgaris.*	*in ſylva.*
Daphne	189. *Mezereum.* *	
Polygonum	190. *aviculare.* A	*ubique.*
	191. *amphibium.* P	*in aquoſis agris.*
	192. *Perſicaria.* A	*cultis.*
	193. *Hydropiper.* A	*viis.*
	194. *Convolvulus.* A	*cultis.*
Paris	195. *quadrifolia.* P	*nemoribus.*
Adoxa	196. *Moſchatellina.* P	*nemoribus.*
Elatine	197. *Hydropiper.* A	*ad littus.*

ENNEANDRIA.

Butomus	198. *umbellatus.* P	*ad littus.*

DECANDRIA.

Ledum	199. *paluſtre.* *	*in cæſpitoſis.*
Andromeda	200. *polifolia.* *	*in turfoſis.*
Arbutus	201. *Uva urſi.* *	*in ſylva.*
Pyrola	202. *rotundifolia.* P	*in ſylva.*
	203. *ſecunda.* P	*in ſylva.*
Chyſoſplen.	204. *alternifolium.* P	*in uliginoſis.*
Saxifraga	205. *granulata.* P	*in glabretis.*
	206. *tridactylites.* A	*in montibus.*
Scleranthus	207. *annuus.*	*in montibus.*
Dianthus	208. *deltoides.* P	*in ſiccis.*
	209. *arenarius* P	*hic plantatus.*
Silene	210. *nutans.* P	*in montibus.*
Stellaria	211. *graminea.* P	*in ſiccis.*
Arenaria	212. *trinervia.* A	*in ſylvis.*
	213. *ſerpyllifolia.* A	*in ſylva.*
	214. *rubra.* A	*in aridis.*
Sedum	215. *Telephium.* P	*in tectis.*

	216. *acre.* P	*in ſiccis.*
	217. *annuum.*	*in montibus.*
Oxalis	218. *Acetoſella.* P	*in nemoribus.*
Agroſtemma	219. *Githago.* A	*in agris.*
Lychnis	220. *Flos cuculi.* P	*in pratis ulig.*
	221. *Viſcaria.* P	*in montibus.*
	222. *dioica.* P	*in pratis.*
Ceraſtium	223. *aquaticum.* P	*in ſubhumid.*
	224. *viſcoſum.* A	*paſſim.*
Spergula	225. *arvenſis.* A	*in arvis.*

DODECANDRIA.

Lythrum	226. *Salicaria.* P	*ad aquas.*
Agrimonia	227. *Eupatoria.* P	*paſſim.*
Euphorbia	228. *helioſcopia.* A	*in ſatis.*
	229. *Peplus.* A	*in cultis.*
Semperviv.	230. *tectorum.* P	*ſatum in tect.*

ICOSANDRIA.

Prunus	231. *Padus.* *	*paſſim.*
	232. *ſpinoſa.* *	*in montibus.*
Cratægus	233. *Aria.* *	*ſata.*
	234. *Oxyacantha.* *	*in montibus.*
Sorbus	235. *aucuparia.* *	*paſſim.*
Pyrus	236. *Malus.* *	*quibusd. locis.*
Meſpilus	237. *Cotoneaſter.*	*in montibus.*
Spiræa	238. *Filipendula.*	*paſſim.*
	239. *Ulmaria.* *	*in uliginoſis.*
Roſa	240. *canina.* *	*in montibus.*
	241. *ſpinoſiſſima.* *	*in montibus.*
	242. *villoſa.*	*lecta a D. Præſide.*
Rubus	243. *fruticoſus.* *	*ſatus.*
	244. *cæſius.* *	*ſatus.*
	245. *idæus.* * B	*ad lapides.*
	246. *ſaxatilis.* P	*inter lapides.*

Fra-

	247. *Chamæmorus.* P	*in cæspitosis.*
Fragaria	248. *vesca.* P	*passim.*
Potentilla	249. *Anserina.* P	*passim.*
	250. *argentea.* P	*passim.*
	251. *verna.* P	*in siccis.*
	252. *reptans.* P	*in argillosis.*
	253. *norvegica.* A	*in cultis.*
Tormentilla	254. *erecta.* P	*passim.*
Geum	255. *urbanum.* P	*ad villam.*
	256. *rivale.* P	*in uliginosis.*
Comarum	257. *palustre.* P	*in uliginosis.*

POLYANDRIA.

Actæa	258. *spicata.* P	*in nemoribus.*
Chelidonium	259. *majus.* P	*in cultis.*
Nymphæa	260. *lutea.* P	*in lacu.*
	261. *alba.* P	*in lacu.*
Tilia	262. *europæa.* *	*ad villam.*
Delphinium	263. *Consolida.* A	*in agris.*
Aquilegia	264. *vulgaris* P	*ad villam.*
Anemone	265. *Hepatica.* P.	*in nemoribus.*
	266. *nemorosa.*	*in nemoribus.*
Thalictrum	267. *flavum.* P	*in uliginos.*
Ranunculus	268. *Flammula.* P	*in uliginosis.*
	269. *reptans.* P	*in littore.*
	270. *Ficaria.* P	*in pomario.*
	271. *auricomus.* P	*passim.*
	272. *sceleratus.* A	*in inundatis.*
	273. *bulbosus.* P	*passim.*
	274. *repens.* A	*in cultis.*
	275. *polyanthemos.* P	*rarius.*
	276. *acris.* P	*passim.*
	277. *aquatilis.* P	*in aquis.*
Trollius	278. *europæus.* P	*allat. e prox.*
Caltha	279. *palustris.*	*in inundatis.*

DIDYNAMIA.

Ajuga	280. *pyramidalis*. B	*in sylvis.*
Nepeta	281. *Cataria*. P	*in siccis.*
Mentha	282. *arvensis*. P	*in agris.*
	283. *aquatica*. P	*ad littus.*
Glecoma	284. *hederacea*. P	*in nemoribus.*
Lamium	285. *album*. P	*ad villam.*
	286. *purpureum*. A	*passim.*
	287. *amplexicaule*. A	*passim.*
Galeopsis	288. *Tetrahit*. A	*in cultis.*
	289. *Ladanum*. A	*in cultis.*
Stachys	290. *sylvatica*. P	*in umbrosis.*
	291. *palustris*. P	*in agris.*
Marrubium	292. *vulgare*. P	*ad villam.*
Leonurus	293. *Cardiaca*. B	*ad villam.*
Clinopodium	294. *vulgare*. P	*in montibus.*
Thymus	295. *Serpyllum*. P	*in montibus.*
	296. *Acinos*. A	*in montibus.*
Scutellaria	297. *galericulata*. P	*ad littus.*
Prunella	298. *vulgaris*. P	*passim.*
Rhinanthus	299. *Crista galli*. A	*passim.*
Euphrasia	300. *officinalis*. A	*in aridis.*
Melampyrum	301. *cristatum*. A	*in montibus.*
	302. *pratense*. A	*in pratis.*
	303. *sylvaticum*. A	*in sylvis.*
Pedicularis	304. *palustris*. P	*in uliginosis.*
Antirrhinum	305. *Linaria*. P	
Scrophularia	306. *nodosa*. P	*Inter Palat. & Lacum.*
Linnæa	307. *borealis*.	*in silvis.*
Limosella	308. *aquatica*.	*ad lacum.*

TETRADYNAMIA.

Subularia	309. *aquatica*. P	*ad lacum.*
Draba	310. *verna*. B	*in collibus.*
Thlaspi	311. *arvense*. A	*in agris.*
	312. *Bursa pastoris*. A	*in agris.*
Iberis	313. *nudicaulis* B	*allata.*

Lu-

Lunaria	314. *annua.*	*in horto.*
Cardamine	315. *pratenſis.* P	*in ſubhumidis.*
Siſymbrium	316. *amphibium.* P	*ad piſcinam.*
	317. *Sophia.* A	*ad offic. later.*
Eryſimum	318. *officinale.* A	*ad villam.*
	319. *Barbaræa.* P	*in horto.*
	320. *Alliaria.* P	*in horto.*
	321. *Cheirantoides.* A	*in agris.*
Arabis	322. *thaliana.* A	*in collibus.*
Turritis	323. *glabra.* B	*ad ſtabula.*
Braſſica	324. *campeſtris.*	*ad hortos.*
Sinapis	325. *arvenſis.*	*in agris.*
	326. *nigra.*	*ad hortos.*
Raphanus	327. *Raphaniſtrum.*	*ſatus.*

MONADELPHIA.

Geranium	328. *ſylvaticum.* P	*in ſylva.*
	329. *pratenſe.* P	*in pratis.*
	330. *robertianum.* B	*in vivario.*
	331. *rotundifolium.* A	*in agris.*
	332. *cicutarium.* A	*paſſim.*
Malva	333. *rotundifolia.* A	*ad ædificia.*

DIADELPHIA.

Fumaria	334. *officinalis.* A	*in agris.*
	335. *bulboſa.* P	*in horto.*
Polygala	336. *vulgaris.* P	*in collibus.*
Ononis	337. *ſpinoſa.* P	*ex prox. all.*
Orobus	338. *vernus.* P	*in betuletis.*
	339. *tuberoſus.* P	*in collibus.*
	340. *niger.* P	*in montibus.*
Lathyrus	341. *latifolius.* P	*allatus.*
	342. *pratenſis.*	*ad ſepimenta.*
Vicia	343. *ſepium.* P	*ad ſepes.*
	344. *Cracca.* P	*inter ſata.*
	345. *caſſubica.*	*allata.*
	346. *ſativa.* A	*in agris.*
Ervum	347. *tetraſpermum.* A	*in agris.*

Aſtra-

	348. *hirſutum.* A	*in agris.*
Aſtragalus	349. *glycyphyllus.* P	*in horto hybern.*
Trifolium	350. *repens.* P	*in pratis.*
	351. *pratenſe.* P	*ibidem.*
	352. *montanum.* P	*in ſiccis.*
	353. *agrarium.* A	*in collibus.*
Lotus	354. *corniculata.* P	*in pratis.*
Medicago	355. *lupulina.* B	*in collibus.*

POLYADELPHIA.

Hypericum	356. *quadrangulum.*	*in pratis.*
	357. *perforatum.* P	*in Oxhagen.*
	358. *montanum.* P	*in rima petræ.*

SYNGENESIA.

Tragopogon	359. *pratenſe.* B	*in lupuleto.*
Scorzonera	360. *humilis.* P	*in prato.*
Sonchus	361. *arvenſis.* A	*paſſim.*
	362. *oleraceus.* A	*in hortis.*
Prenanthes	363. *muralis.* P	*in vivario.*
Leontodon	364. *Taraxacum.* P	*paſſim.*
	365. *autumnale.* P	*in pratis.*
Hieracium	366. *Piloſella.* P	*in collibus.*
	367. *Auricula.* P	*ad villam.*
	368. *murorum.* P	*in betuletis.*
	369. *umbellatum.* P	*in collibus.*
Crepis	370. *tectorum.* A	*paſſim.*
Hyoſeris	371. *minima.* A	*allata.*
Hypochæris	372. *maculata.* P	*in Oxhagen.*
	373. *radicata.* P	*allata.*
Lapſana	374. *communis.* A	*paſſim.*
Arctium	375. *Lappa.* B	*paſſim.*
Serratula	376. *tinctoria.* P	*in hortis.*
	377. *arvenſis.* P	*in agris.*
Carduus	378. *lanceolatus.* P	*ad vias.*

Cnicus

	379.	*crispus.* P	*in agris.*
	380.	*palustris.* P	*in subhumidis.*
Cnicus	381.	*oleraceus.* P	*ad hortum.*
Carlina	382.	*vulgaris.* B	*in montibus.*
Bidens	383.	*tripartita.* A	*ad offic. lat.*
Artemisia	384.	*vulgaris.* P	*passim.*
	385.	*Absinthium.* P	*ad villam.*
Gnaphalium	386.	*dioicum.* P	*in sterilibus.*
	387.	*sylvaticum.* A	*in sylva.*
	388.	*uliginosum.* A	*in inundatis.*
Erigeron	389.	*acre.* P.	*in collibus.*
Tussilago	390.	*Farfara.* P	*ad piscin. sata.*
	391.	*Petasites.* P	*ad villam.*
Senecio	392.	*vulgaris.* P	*passim.*
	393.	*Jacobæa.* P	*ad offic. ferr.*
Solidago	394.	*Virga aurea.* P	*in Oxhagen.*
Arnica	395.	*montana.* P	*haud proc. ab offic. later.*
Chrysanthem.	396.	*Leucanthem.* P	*passim.*
Matricaria	397.	*Chamomilla.* A	*in agris.*
	398.	*inodora.* A	*passim.*
	399.	*suaveolens.* A	*ad villam.*
Anthemis	400.	*Cotula.* A	*ad vias in agris.*
	401.	*arvensis.* B	*in agris.*
Achillæa	402.	*Millefolium.* P	*passim.*
Centaurea	403.	*Scabiosa.* P	*in pratis.*
	404.	*Jacea.* P	*in agris.*
	405.	*Cyanus.* A	*inter segetes.*
Lobelia	406.	*Dortmanna.* P	*in lacu.*
Viola	407.	*canina.* P	*passim.*
	408.	*palustris.* P.	*ad lacum.*
	409.	*hirta.* P	*in hortis.*
	410.	*tricolor.* A	*passim.*
Impatiens	411.	*noli me tangere.*	*in horto.*

GYNANDRIA.

Orchis	412.	*bifolia:* P	*in collibus.*

Sa-

	413. *conopſea.* P	*in horto.*
	414. *maculata.* P	*paſſim.*
Satyrium	415. *repens.* P	*in ſilva.*
Calla	416. *paluſtris.* P	*in palude.*

MONOECIA.

Lemna	417. *polyrrhiza.* A	*in piſcina.*
	418. *gibba.* A	*in foſſa.*
	419. *minor.* A	*in palude ſub alnis.*
Sparganium	420. *erectum.* P	*ad horreum.*
	421. *natans.* P	*in lacu.*
Carex	422. *dioica.* P	*in Sjöängen.*
	423. *leporina.* P	*in pratis.*
	424. *vulpina.* P	*in Sjöängen.*
	425. *muricata.* P	*in paludibus.*
	426. *loliacea.*	*in Storängen.*
	427. *flava.* P	*in paludibus.*
	428. *digitata.* P	*in ſilva.*
	429. *limoſa.* P	*in uliginoſis.*
	430. *palleſcens.* P	*in Sjöängen.*
	431. *panicea.* P	*in Storängen.*
	432. *ceſpitoſa.* P	*in paludibus.*
	433. *veſicaria.* P	*in foſſis.*
	434. *acuta.* P	*in pratis.*
	435. *hirta.* P	*haut procul a fonte.*
Betula	436. *alba.* *	*paſſim.*
	437. *Alnus.* *	*paſſim.*
Urtica	438. *urens.* A	*in hortis & alibi.*
	439. *dioica.* P	*ad ædificia.*
Ceratophyll.	440. *demerſum.*	*in foſſa.*
Myriophyll.	441. *ſpicatum.* P	*ibidem.*
Sagittaria	442. *ſagittifolia.* P	*in lacu ad hibernac.*
Quercus	443. *Robur.* *	*in vivario & alibi.*
Fagus	444. *ſylvatica.* *	*in horto.*
Carpinus	445. *Betulus.* P	*in horto.*
Corylus	446. *Avellana.* *	*in hortis.*

Pinus	447. *ſylveſtris.* *	*in ſylva.*
	448. *Abies.* *	*in ſylva.*
Salix	449. *fragilis.* P	*ad foſſam.*
	450. *myrtilloides.* *	*in Storängen.*
	451. *caprea.* *	*ad lacum.*
	452. *viminalis.*	*aliunde allata.*
	453. *cinerea.* *	*in ſilva.*
Myrica	454. *Gale.* *	*ad lacum.*
Populus	455. *tremula.* *	*in Oxhagen.*
Hydrocharis	456. *Morſus ranæ.* P	*in piſcina.*
Juniperus	457. *communis.* *	*in ſylva.*

POLYGAMIA.

Atriplex	458. *patula.* A	*in cultis.*
Acer	459. *Platanoides.* *	*ad hortos.*
Fraxinus	460. *excelſior.* *	*in area villæ.*

CRYPTOGAMIA.

Equiſetum	461. *arvenſe.* P	*in hortis.*
	462. *paluſtre.* P	*inter lupuletum & lacum.*
Ophiogloſſ.	463. *vulgatum.* P	*in horto.*
Oſmunda	464. *Lunaria.* P	*in collibus.*
Acroſtichum	465. *ilvenſe.* P	*in rimis petrarum.*
	466. *ſeptentrionale.* P	
Pteris	467. *aquilina.* P	*in ſilva.*
Aſplenium	468. *Trichomanes.* P	*in rimis petr.*
Polypodium	469. *vulgare.* P	*ibidem.*
	470. *Phegopteris.* P	*in ſilva.*
	471. *Filix Mas.* P	*in horto.*
	472. *Filix Femina.*	*ad vivarium.*
	473. *fragile.*	*ibidem.*
	474. *Dryopteris.*	*in muris.*
Iſoëtes	475. *lacuſtris.*	*in lacu.*
Lycopodium	476. *clavatum.*	*in ſilva.*
	477. *Selago.*	*ibidem.*
	478. *annotinum.*	*ibidem.*

CLV.

)o(

CLV.

ERICA

QUAM

PRÆSIDE

D. D. CAR. v. LINNÉ

proposuit

JOH. ADOLPHUS DAHLGREN, EBBESSON.

Norrcopia Ostrogothus.

Vpsaliæ 1770. *Decembr.* 19.

Post tantam scriptorum editorum copiam edendo jam specimini Academico materiam anxius quærerem, nisi Natura tot rebus præstantissimis abundans sponte sese mihi offerret.

Cum vero argumentum aliquod sit pertractandum, opus compilatum Tineæ tapetzellæ simile, conquisitis omnium Auctorum ornamentis exhibere nolui, ubi nihil per me scientia accederet emolumenti.

Rarissimæ plantæ Indicæ bene multæ pulcherrimis doctorum virorum superbiunt descriptionibus & figuris, nostræ vero indigenæ maximeque vulgares tamen adhuc desiderant operam. Nulla fere apud nos planta copiosius crescit, quam Erica vulgaris.

Genus

Genus Ericæ plus quam Sexaginta ſpecierum, etjam ob ſpecies permultas admodum ſimiles, omnium fere explicatu eſt difficillimum.

Contigit mihi haud ita pridem, ut in Muſeo Gen. D. Præſidis, (monti altiſſimo ad prædium Ejus Hammarby ſuperſtructo) inter vaſtiſſimas omnium Naturæ miraculorum & potiſſimum Plantarum collectiones, ampliſſimum viderem Ericæ genus, ſingulari ab Ipſo cura digeſtum, ubi clavem generis hujus difficillimi mihi expetere ſum auſus, quam impetratam Tibi L. B. ſiſto, ut genus hoc, a nullo adhuc Botanico explanatum, expeditius enodare poſſis.

§. I. ORDO.

Ordines Naturales, qui Gen. D. Præſidis Generibus Plantarum ſunt annexi, ſummis omnino artificiis Botanicis merito adnumerantur, quos melius conſtituere plures ſunt adgreſſi, nemo valuit. e. g.

Alius reducit		Alius Scriptor	
Viſcum *ad*	Algas.	Utriculariam *a*	Corydalibus.
Potamogeton	Piperitas monocotyledones.	Azaleam	Bicornibus.
		Circæam	Valerianis.
Samolum	Campanaceas.	Agrimoniam	Senticoſis.
Fumariam	Perſonatas.	Chryſoſplenium	Saxifragis.
Frankeniam	Convolvulos.	Campanulam *ad*	Viburna.
Coriariam	Oleraceas.	Droſeram *cum*	Potamogetis.
Veronicam *a*	Perſonatis	Ariſtolochiam	Dictamnis.
Violam	Parnaſſia.	Aſarum	Herniaria.
Cneorum	Tricoccis.		

Ordinem XVIII:vum, qui Bicornes continet, exceptioni non eſſe obnoxium, manifeſtum eſt; ſed in his æque ac in aliis Characterem ordinis ponere, hoc opus eſt, hic labor.

BI-

BICORNES vocantur, quia pleræque apicibus Antherarum in bina velut roſtra diffinduntur. Omnes quæ huc pertinent, ſunt FRUTESCENTES & SEMPERVIRENTES; omnes *inermes*, ſine ſpinis ſeu aculeis; omnes *ſicco* & *ſterili* gaudent *ſolo*, atque in terris, inprimis *frigidioribus* creſcunt, nec, quantum ſcio, ulla inter Tropicos fervidos. Pleræque *Herbam qualitate* habent *inſipidam* & *inodoram* præter *Ledum*. Omnes *Folia* habent *ſimplicia* & *indiviſa*. *Fructu* omnes ſunt *polyſpermæ* ſeu multis inſtructæ ſeminibus, præter *Myrſinen*, quæ unico gaudet ſemine 5-loculari, & *Arbutos* nonnullas, quibus ſemina ſunt quinque. BACCIFERÆ ſunt Myrſine, Vaccinium, Gaulteria, Arbutus, Dioſpyros, Royena. CAPSULIFERÆ vero ſunt Blæria, Azalea, Erica, Andromeda, Rhododendron, Kalmia, Ledum, Epigæa, Pyrola. COROLLA in omnibus eſt monopetala, præter Pyrolam. Corollæ autem figura in diverſis mirum in modum diverſa eſt. STAMINA in Blæria 4; in Azalea, Myrſine 5; in Erica, Vaccinio 8; in Pyrola, Andromeda, Kalmia, Rhododendro, Ledo, Epigæa, Arbuto, Dioſpyro, Royena 10. PISTILLUM omnibus, præter Royenam, 1; omnesque Hermaphroditæ ſunt, excepta Dioſpyro, quæ polygama eſt. Sic nulla adhuc Methodus, neque Raji, Halleri, Gerardi, neque aliuscujusquam inventa eſt, quæ hunc ordinem ſervare potuerit incorruptum. FILAMENTA ſtaminum in hoc ordine peculiarem habent inſertionem, ut in Aloë, quod non corollæ monopetalæ ſunt annexa, quæ communis haberi ſolet in monopetalis regula, ſed ipſi receptaculo adhærent; eſſetque hæc nota ordinis eſſentialis atque propria, niſi Pyrola obſtaret pentapetala. Bicornes etjam Antheræ egregium effiicerent diſcrimen, niſi alia darentur genera, antheris bicornibus inſtructa.

§. II.

§. II. GENUS.

Veteres ad genus Ericæ Azaleas, Andromedas & Blærias referebant, ut maxime inter ſe adfines. Sed hoc robur eſt ſcientiæ, ut ordo naturalis non turbetur, nec genera conſtruantur majora, quam ut explicari queant. Nam alioquin omnes Umbellatæ & Siliquoſæ unicum ſeorſim efficerent genus. Sed neceſſitatem diviſionis natura ipſa ſatis determinavit, ubi diſcrepantiam ſpecierum tum facie, tum ſtructura exhibuit. Hoc vero in genere Ericæ tam difficili & prolixo, diviſio certe, ſi usquam, erit perneceſſaria.

Character Ericæ eſt

Calyx *tetraphyllus*; Corolla *monopetala*; Stamina 8 *receptaculo inſerta*; Piſtillum *unicum ſuperum*; Semina *plura*. Sed heic obſervandæ ſunt duæ ſpecies, quæ adferunt difficultatem; variant enim corolla, quæ jam quadrifida eſt, jam quinquifida, ut medium quaſi inter Ericam & Andromedam ſervent; nempe *Andromeda dabæcii & Andromeda droſeroides* (Erica glutinoſa *Bergii*), quæ rectius & ob totam faciem Andromedis annumerantur, præſertim quia Folia habent alterna, in Ericis nunquam obſervata. Ruppius, qui nomine Ericoidis ſeu *Tetralicis* ſeparatum conſtituit Ericarum genus, eo magis excuſari debet, quod paucas Ericarum ſpecies viderat. Si enim figura corollæ fundamentum hic eſſet diviſionis, multa ex hoc unico Ericæ genere conſtituerentur genera, (vix enim ullum aliud genus eſt, ubi corollæ in diſtinctis ſpeciebus tantopere diſcrepant,) nec limites admitterent.

§. III. SPECIES.

Licet ſexaginta circiter Species ex Ericæ genere ſint detectæ: in Suecia tamen non niſi duæ oc-

 currunt,

currunt, *Erica vulgaris* & *Tetralix.* Vidit in Norrvegia D. Oeder *Ericam cineream*, cujus nullum adhuc apud nos eſt veſtigium. Ericæ verſus partem Europæ auſtralem ſunt crebriores *), ut ſpecies ſedecim numerentur Europææ. Intra Tropicos decreſcit numerus, ſed ex altera parte, & maxime ad extremas *Capitis bonæ ſpei*, quadraginta numerantur & in poſterum forte plures, quæ omnes ab Europæis admodum differunt; & quod mirandum, rectam a ſeptentrione verſus meridiem ſervant Ericæ ſpecies lineam; neque enim ulla huc usque Ericæ ſpecies in alterutra deprehenſa eſt India.

Ericæ nobis cognitæ ſunt ſequentes:

FOLIIS BINIS.	FOLIIS TERNIS.	FOLIIS QVATERNIS.
Vulgaris 1.	*cinerea* 4.	*Tetralix* 8.
tenuifolia 29.	regerminans 58.	pubeſcens 24.
lutea.	mucoſa 57.	25. 39.
	pilulifera 31.	perſoluta 49.
	depreſſa 48.	ramentacea 42.
	viridipurp. 7.	mammoſa 54.
	peutaphyllea 23.	caffra 6.
	ſcoparia 5.	abietina 22.
	planifolia 35.	*auſtralis* 62.
	arborea 9.	phyſodes 26.
	nigrita 43.	cerinthoides 21.
	triflora 33.	faſtigiata 40.
	baccans 53.	cubica 52.
	corifolia 32.	viſcaria 50.
	articularis 44.	granulata 60.
	gnaphalodes 34.	comoſa 59.
	calycina 28.	*herbacea* 3. 14.
	paniculata 36.	*vagans* 50.

cubi-

*) Cluſ. Hiſt. refert Ericam Scopariam, quæ maximos *Luſitaniae* tegit campos, & Tournefortius excurſiones ſuas memorat Botanicas per Ericeta *Luſitaniae*.

cubitalis 46.
halicacaba 27.
albens 55.
ſpumoſa 37.
ciliaris 11.
abſinthioides 41.
capitata 16.
melanthera 51.
Plukenetii 17.
Petiveri 61.
Bruniades 15.
imbricata 12.
umbellata 2. 14.
nudiflora 47.
bergiana 63.

mediterranea 45.
(ſubdivaricataB.)
tubiflora 20.
curviflora 19.
coccinea 18.
multiflora 13. *)
purpuraſcens 10.
empetrifolia 30. **)

Quod ad *Ericas Europæas* attinet, plurimæ harum inſufficienter deſcriptæ ſunt, cum tamen aliis plantis Europæis lux major adfulſit. *Cluſio*, *& Læflingio* inprimis, paucarum debetur vera cognitio. Africanæ autem plurimæ etiamnum obſcuræ ſunt, quamvis ab *Hermanno* & *Oldenlando* ſint nominatæ, & a *Plukenetio*, *Petiverio* & *Seba* ſparſim delineatæ, ut *Bartholinum* & *Breynium* taceam. Multas quidem breviter *Rajus* deſcripſit, ſed opera parum profutura. Unicus eſt Clariſſ. D. Prof. *Bergius*, qui adcuratiſſime & modo luce noſtri temporis digno, ex

 legibus

*) Tres ultimæ ſpecies variant etiam foliis quinis pluribusve.

**) Harum litteris minoribus exaratæ Europææ ſunt.
Lit. B. notatae D. Bergii, *de quibus* incertum an a reliquis a nobis dictis differant.

Numeri additi ſunt e Speciebus plantarum, ubi ſynonyma; ſequentes vero numeri indicant ſpecies Gen. D. Præſidis propediem edendas, uti 45 ad 63.

legibus artis, plures defcripfit Ericas Africanas. Neminem etjam novi, qui methodo Gen. D. Præfidis & ex legibus ab Ipfo præfcriptis, plantas rite atque accurate defcripferit, præter Profeffores, Cel. D. Linné Juniorem, D. Schreberum & D. Bergium.

Genus hoc rite digerendum eft, ut lucidus obtineatur ordo. Primo differunt fpecies quoad FOLIA, quæ funt *oppofita*, *terna*, *quaterna*, ad fingula genicula. 2:o BRACTEÆ, in illis quæ plura duobus habent folia oppofita, plerumque funt ternæ, fed calyci jam remotiores, jam propiores, ut duplicem fere forment calycem. 3:o FLORES in aliis funt *feffiles*, *fafciculati*, *racemofi*, *fecundi*, *laterales*, *terminales*. 4:o CALYX in aliis *rudis*, in aliis *fcariofus* feu *coloratus*. 5:o COROLLA figuras varias variis in fpeciebus affumit, e. gr.

COROLLA Hypocrateriformis: *faftigiata*, *cubica*, *melanthera*.

Inæqualis: *vulgaris*, *ciliaris*.

Globofa: *pilulifera*, *ramentacea*, *triflora*, *baccans*, *granulata*.

Ovata: *halicacaba*, *calycina*, *Tetralix*, *cinerea*, *phyfodes*, *articularis*, *corifolia*, *mediterranea*, *cubitalis*, *pubefcens*, *tenuifolia*, *empetrifolia*, *regerminans*, *caffra*, *gnaphalodes*, *albens*.

Cam-

Campanulata: *bruniades, capitata, vagans, carnea, planifolia, viſcaria, nigrita, articularis, paniculata, viridipurpuraſcens, imbricata, arborea, parviſolia, perſoluta, ſcoparia, abſinthioides, pilulifera, depreſſa, pentaphyllea, mucoſa, bergiana.*

Cylindroidea: *plukenetii, multiflora, pentaphyllea, auſtralis, petiveri, umbellata, cerinthoides, abietina, tubiflora, curviflora, coccinea, nudiflora, herbacea.*

Villoſa: *cerinthoides, tubiflora, pentaphyllea, pubeſcens, coccinea.*

Viſcida: *phyſodes, halicacaba, mucoſa, viſcaria.*

Aggregata: *ſpumoſa.*

Acuta: *cubitalis, calycina, petiveri, albens, comoſa.*

Brevis: *vulgaris, nigrita, articularis, trifolia, tenuiſolia, baccans, bruniades, cubica, ſpumoſa, imbricata, abſinthioides, gnaphalodes, coriſolia, calycina.*

Maxima: *abietina, mammoſa, ciliaris, cerinthoides, tubiflora, coccinea, halicacaba.*

6:o FILAMENTA in nonnullis *brevia* intra tubum corollæ, *æqualia*, vel *longiora* corolla. 7:o ANTHERÆ in aliis *emarginatæ*, *bifidæ*, *bipartitæ*, *acutæ* l. *obtuſæ*; in aliis ad baſin *ariſtatæ*, *criſtatæ*, *muticæ*. 8:o GERMEN in nonnullis *hirſutum*: coccinea, cerinthoides, capitata, abſinthoides, nigrita, planifolia, empetrifolia; in plerisque vero *glabrum*. 9:o STYLUS, corolla *longior*, *mediocris*, l. *brevior*. 10:o STIGMA *ſimplex* aut *capitatum*. Ut igitur in his ſpeciebus juſta habeatur diſtinctio, a flore hæc eſt inſtituenda, & præcipue ab *antheris*, quæ vel baſi ſunt ariſtatæ l. muticæ; & quamquam hoc multis niſi lente vitrea, ubique obſervatu videbitur difficillimum, melior tamen & certior non datur methodus, tot ſpecies rite diſtinguendi. Hæ autem antheræ ariſtatæ partim ariſtas habent *ſetaceas*, partim latiuſculas margine *criſtatas*, atque adeo in ariſtatas *ſimpliciter* & *criſtatas* diſpeſci debent. Toto igitur hoc genere in ariſtatas, criſtatas, & muticas diviſo, ſingulæ hæ ſectiones rurſus in tria abeunt ſegmenta, nempe quæ aut *Antheras* ferunt *intra tubum corollæ*, *aut corollam longitudine æquantes*, aut *corolla longiores*, ſive, quod eodem recidit, in eas, quæ *Antheras* habent *incluſas*, *æquales*, l. *exſertas*. Has omnes ulterius (ex obſervatione Cel. D. Bergii) diſtinguere neceſſum eſt in eas, quæ *Piſtillum* habent corolla l. *longius*, l. *brevius*; has vero, in eas, quæ *Folia* habent *bina*, *terna*, *quaterna*, l. *plura*. Per hanc diſtributionem cognitio omnium harum ſpecierum certior eluceſcit, quod fieri omnino poſſe, multi harum rerum ignari dubitarent.

ERICÆ

ERICA.

ERICÆ ad Normam G. D. Præſidis.

* Aristatae.

Folia.	Stylus.		Corolla.	Calyx.	
2.	exſertus.	1. *vulgaris.*	1. inæqualis.	æquans.	Fl. ſecundi.
	incluſus.	2. *lutea.*	ovato-oblonga.	lanceolatus.	Fl. lutei.
3.	incluſus.	3. *halicacaba.*	27. ovata inflata.	ſimplex.	Fl. ſolitarii.
		4. *regerminans.*	58. ovata.	acutus.	Fl. racemoſi.
		5. *mucoſa.*	57. ſubgloboſa.	ſubæquans.	Fl. viſcoſi.
		6. *bergiana.*	63. campanulata.	reflexus.	Fl. ſparſi.
		7. *depreſſa.*	48. campanulata.	ſubæquans.	Fl. rari nutantes.
		8. *pilulifera.*	31. ſubcampan.	ſubæquans.	Fl. umbellati.
		9. *viridi purpur.*	7. ſubcampan.	minutus.	Fl. ſparſi.
		10. *pentaphyllea.*	23. ſubcampan.	rudis.	Fl. pubeſcentes.
		11. *nigrita.*	43. campanul.	imbricatus.	Fl. ſeſſiles termin.
	exſertus.	12. *planifolia.*	35. campanul.	pubeſcens.	Fl. patentiſſ.
		13. *ſcoparia.*	5. camp. minut.	minutus.	Fl. ſtigm. peltat.
		14. *arborea.*	9. campanulata.	lævis.	Caul. tomentoſ.
4.	incluſus.	15. *ramentacea.*	42. globoſa.	linearis.	Fl. umbellati.
		16. *perſoluta.*	49. ſubcampan.	ciliatus.	Fol. piloſa.
		17. *Tetralix.*	8. ovata.	ciliatus.	Fl. capitati.
		18. *empetrifolia.*	30. ovata.	ciliatus.	Fl. ſeſſiles later.
		19. *pubeſcens.*	24. ovata.	minutus.	Fl. piloſi. 25, 49.
		20. *abietina.*	22. groſſa.	ſimplex.	Fl. ſeſſiles.
	exſertus.	21. *mammoſa.*	54. groſſa.	ſcarioſus.	Fl. congeſti.
		22. *caffra.*	6. ſubovata.	ſimplex.	Fl. ſparſi.

** Cristatae.

3.	incluſus.	23. *triflora.*	33. globoſa, tecta.	imbricatus.	Fl. terminales.
		24. *baccans.*	53. globoſa, tecta.	connivens.	Fl. terminales.
		25. *gnaphalodes.*	34. ovata, incluſa.	lævis.	Stigm. 4part.
		26. *corifolia.*	32. ovata, incluſa.	turbinatus.	Fl. umbellat.
		27. *articularis.*	44. ovata, incluſa.	turbinatus.	Stigm. 4part.
		28. *calycina.*	28. ovata, inflata.	patentiſſ.	Fl. umbellati.
	exſertus.	29. *cinerea.*	4. ovata.	patulus.	Fl. glomerat.
		30. *paniculata.*	36. campanulata.	ſimplex.	Fl. minuti.
		31. *auſtralis.*	62. cylindrica.	imbricatus.	Fl. terminal. ſeſſiles.
4.	incluſus.	32. *phyſodes.*	26. ovata, inflata.	ſimplex.	Fl. ſubſolitarii.

*** Mu-


	***	MUTICAE *Staminibus*	*inclusis.*	
2. inclusus.	33. *tenuifolia.*	29. ovata.	sanguineus.	Fl. sanguinei.
3. inclusus.	34. *albens.*	55. ovata acuminat.	tegens.	Racem. secund.
exsertus.	35. *spumosa.*	37. ternato-tecta.	communis.	Fl. solitarii.
	36. *capitata.*	16. campan. tect.	lanatus.	Fl. solitarii.
	37. *melanthera.*	51. rotata.	turbinatus.	Anth. nigræ.
	38. *absinthioides.*	41. campan. minut.	simplex.	Stigm. peltatum.
	39. *ciliaris.*	11. grossa.	ciliatus.	Racem. secund.
4. inclusus.	40. *tubiflora.*	20. grossa, pubescens.	pilosus.	Fl. solitarii.
	41. *curviflora.*	19. grossa, curvata.	lævis.	Fl. subsolit.
	42. *coccinea.*	18. grossa, pubescens.	pilosus.	Fl. copiosiss.
	43. *cerinthoides.*	21. grossa hispida.	ciliatus.	Stigm. cruciat.
	44. *fastigiata.*	40. hypocraterif.	rudis.	Fl. fasciculat.
	45. *cubica.*	52. rotata.	cubicus.	Fl. umbellat.
	46. *viscaria.*	56. campanulata.	rudis.	Fl. viscosi.
	47. *granulata.*	60. globosa.	subulatus.	Fl. alterni.
	48. *comosa.*	59. ovata acuminat.	subimbricat.	Fl. umbellati.
	****	*Staminibus*	*exsertis.*	
3. exsertus.	49. *plukenetii.*	17. cylindr. obtus.	simplex.	Anth. filiformes.
	50. *petiveri.*	61. cylindr. acuta.	imbricatus.	Anth. filiformes.
	51. *nudiflora.*	47. cylindrica.	minutus.	Fl. laterales.
	52. *bruniades.*	15. camp. tecta.	lanatus.	Fl. sparsi.
	53. *imbricata.*	12. camp. tecta.	imbricatus.	Fl. laterales alb.
	54. *umbellata.*	2. campanulat.	rudis.	Fl. umbellati.
4. exsertus.	55. *purpurascens.*	10. campanulat.	simplex.	Fl. sparsi.
	56. *vagans.*	50. campanulat.	simplex.	Anth. bipartit.
	57. *herbacea.*	3, 14. cylindrica.	oblongus.	Racem. secundus.
	58. *multiflora.*	13. cylindrica.	simplex.	Fl. sparsi.
	59. *mediterranea.*	45. ovata.	simplex.	Fl. sparsi.


Aristatæ Cristatæque *antheræ omnes inclusæ sunt, nec laciniis corollæ longiores; sed non omnes inclusæ sunt Aristatæ Cristatæve.*

Exsertæ in floribus nutantibus sæpius occurrunt.

Folia plura verticillata ad 4:na referuntur, cum sæpius varient a 4 *ad* 5. *s.* 6.

Numerus posterior *indicat Spec. plant. & Mantissam G. D. Præsidis,* prior *vero figuram.*


ERICÆ
J. G. Sturm sc.



§. IV. ERICA vulgaris.

Perſpicuam quidem omnium harum ſpecierum deſcriptionem ſubminiſtrare voluiſſem, ſed ne invitis meis facultatibus, in molem excreſceret opuſculum, de noſtra Erica vulgari nonnihil adduxiſſe ſufficiat; adjecta tamen Tabula, quæ cujusque ſpeciei figuram exhibeat. (*Tab.* I.)

ERICA VULGARIS habet *Antheras* ariſtatas, incluſas, *Folia* oppoſita, *Stigma* exſertum, *Corollam* campanulatam, longitudine calycis, *Flores* ſecundos. Præter hanc nullam novimus, quæ folia habeat oppoſita, excepta Erica tenuifolia Africes. Noſtra Erica vulgaris *Antheris* ariſtatis ab Erica tenuifolia qua diviſionem præcipuam ſatis diſtincta eſt, per *Folia ſagittata* vero ad ab omnibus.

LOCUS: ante omnes plantas indigenas eſt nobis frequentiſſima, maxime in locis ſterilibus, ubi præter Pinum ſylveſtrem & Lichenem Islandicum, nihil fere aliud creſcit. Totos fere occupat campos arenoſos ad ſpatium totius milliaris, ut in Smolandia, Fennonia & Scania ſeptentrionali *a*), ſed ſine hac planta campi glareoſi & ſabuloſi nudi forent & deformes. Nam in Scania, præcipue in Territorio Gyinge *b*), ubi ericeta ſua incendunt ruſtici, ut novi ſurculi & ramuli Ericæ denuo exſurgant, paſtum inde, ſed miſerum, pecudes obtinent. Mirum quoque eſt, quod in Oelandia Gottlandiaque auſtralioribus, & Viſingsö vix inveniatur *c*), vel ſaltem admodum rara ſit; cujus rei rationem expiſcari & ſcire operæ foret pretium.

Con-

---

a) Fl. Lapp. 141. *b*) It. Scan. 57. *c*) It. Oel. 335. 82. 44.

Conſtat autem Ericam in locis calcariis & argilloſis, ſeu pinguibus humoſis, raro creſcere, & ſi pratum Erica ſuffocatum ſepimento includitur & cuſtoditur, perit Erica *d*): contra ſi in paſcua mutatur pratum, cito Erica contegitur *e*). In ſolo ſtercorato Erica, æque ac Muſci, emoritur, utpote terræ pinguis & mollis impatiens, ſed, ut tota Claſſis Naturalis, dura & ſterilia amat loca ſylvatica; unde etjam hæc cum cognatis adeo difficulter in hortis plantari poteſt Botanicis. Calcantes ferre pedes nequaquam poteſt, unde ad vias hominum & pecudum perit. Hæc minime in locis inundatis viget, ubi per hiemem aqua tegitur *f*), ſed in paludibus tamen ceſpitoſis ad ſummitates tuberum creſcit. Singularis autem eſt obſervatio, quod a Fago Erica prorſus abhorreat, ejusque viciniam, quousque exhalationes Fagi diſperguntur, late fugiat; unde etiam in Ericetis Scaniæ ſpatia circa Fagos viridi ſuperbiunt gramine, Erica licet totum occupaverit campum circumjectum *g*). Si Erica creſceret in prato libero, quod humum haberet tres quadrantes ulnæ æquantem, poſt decem annos idem pratum vix unam quidem ejusdem humi quadrantem contineret *h*). In campis ſteriliſſimis Glarea ſtratis creſcunt vix aliæ plantæ, quam Erica hæc *i*), Vaccinium Myrtillus, Uva urſi, Aira flexuoſa, Feſtuca ovina, Lichenes Rangiferinus et Iſlandicus *k*). In Smolandia Erica magis fere quam in ulla alia provincia creſcit, ſed humilis valde, ubi hæc vix eradicari poteſt; remedium aliquod præter combuſtionem incolis optabile eſſet *l*). Erica in planiſſimis creſcit campis arenæ mobi-

---

d) It. Oel. Kalm. Eric. *e*) It. W. Goth. 89. *f*) It. Scan. 390. *g*) It. Scan. 58. *h*) It. W. g. 89. *i*) It. W. goth. 114. Scan. *k*) It. W. goth. 249. *l*) It. Scan. 19.

mobilis *m*), uti in peninſula Scanorum adjacenti, ubi in ipſa arena germinat Erica *n*). In montoſis plerisque Erica viget cum Pteride aquilina *o*). In ſilvis maxime ſterilibus inter abietes Erica plerumque frequens conſpicitur *p*). In terra per exuſtionem ſterileſcente, ſola viget Erica, ubi denſæ antehac ſylvæ. Erica denſiſſime nata impedit quominus Pini ſemina terræ committantur *q*). In collibus Erica evadit breviſſima *r*). In Inſula Balthica Blåkulla Erica altiſſima quam in Suecia vidimus exſurgit *s*). In Oelandia ſeptentrionali Erica copioſius occurrit *t*), licet adeo rara in Oelandia auſtrali.

§. V. *Deſcriptio.*

CAULIS perennis, lignoſus, teres, tenax, profunde radicatus: *Ramis* oppoſitis, ramoſiſſimis, diffuſis; rariſſime pedalis, ſæpius palmaris, l. minor. (Ætatis 17 annorum ex annulis concentricis, obſervante D. Kalmio.)

FOLIA oppoſita, ſeſſilia, ſagittata auriculis compreſſis, ſubtrigona, margine ſubſcabra, carina alba; ramorum rudimentis ſ. foliolorum e ſingulis alis.

FLORES ſubnutantes: *Racemis* ſubterminalibus, ſeſſilibus, ſecundis; hic racemus, peracta floreſcentia, apice ſæpe excreſcit in ramum foliatum; unde fructus evadunt laterales, etſi flores fuere in racemo

---

m) It. Scan. 164. *n*) It. Scan. 222. *o*) It. Scan. 372. *p*) It. Scan. 410. *q*) It. Scan. 411. *r*) It. Oel. 58. *s*) It. Oel. 131. *t*) It. Oel. 137.

cemo terminali. *Pedicelli* in racemo oppoſiti, ſolitarii, flore breviores, purpurei: foliolis floralibus a flore remotis figura foliolorum.

CALYX quaſi triplex eſt.

Inferior foliolis quatuor, ſagittatis, rudibus. *Hic proprie non eſt calyx dicendus, cum conſtruatur e foliis floralibus.*

Intermedius foliolis quatuor, ſubquadratis, purpureis, ciliatis margine albo, ecaudatis, infimo calyce latioribus; non vero longioribus; horum foliolorum duo inferiora oppoſita ſunt carina viridi; *neque hic proprie calyx nominandus, cum e bracteis conficiatur.*

Interior verus Calyx: *Perianthium* quadripartitum, ſcarioſum, purpuraſcenti coloratum, æquale, erecto patulum, obtuſiuſculum, perſiſtens, *verus calyx nominandus.*

COROLLA campanulata, ſemiquadrifida, calyci concolor: *laciniis* oblongis, obtuſis, calyce fere brevioribus; lacinia infima magis patente; perſiſtens.

STAMINUM *Filamenta* 8, receptaculo inſerta, breviſſima, adſcendentia. *Antheræ* oblongæ, acutiuſculæ, fuſceſcentes, baſi biariſtatæ, ariſtis ſubbifidis; corolla fere breviores.

PISTILLI *Germen* pubeſcens. *Stylus* filiformis, corolla, vix vero calyce, longior. *Stigma* obtuſum.

PERI-

PERICARPII *Capſula* globoſa, octotoruloſa, veſtita calyce & corolla, quadrilocularis, angulis dehiſcens.

SEMINA plurima.

§. VI. *Uſus.*

Uſus in œconomia privata eſt varius.

In foſſis ſubterraneis demergitur pro faciliore aquæ tranſitu. In Scotia lecto ſternendo inſervit, ubi erecta collocatur & condenſatur radicibus deorſum verſis. *Raj.* In Anglia Humuli nonnullis in locis vicem præſtat ad potum *u)*; ſed pro conſervatione cerevisiæ nimis debilis. In Inſula Orouſt Bahuſienſi, ubi lignorum eſt penuria, Ericis cremandis coguntur incolæ eſſe contenti *v)*. Capris & Ovibus alicubi ſubſternitur, ad munditiem ſervandam. Ex Ericetis apes plurimum colligunt mellis, unde alvearia levia ſunt atque inania, antequam Erica autumni tempore floret, quæ poſtea gravia ſunt & melle diſtenta *x)*, quamvis mel ex Erica in noſtris regionibus fulvum evadat, at ubi rarior Erica, albeſcat *y)*, ſed melius omnino, quam quod ex Polygono Fagopyro in Scaniæ campis colligitur. Sterquilinium nonnulli injecta Erica augere ſtudent; ſed fertilitatem herbæ ſucculentæ augent, ſicciores non item. Erica animalibus variis ſylvaticis alimento eſt: Lepores timidi Erica tum veſcuntur tum abſconduntur. Aves permultæ partim ramulos, partim flores, & ſemina Ericæ carpunt, ut Tetrao Urogallus

---

u) Plot. Staff. 379. *v)* It. Wgoth. 183. *x)* It. Oel. 30. *y)* It. Oel. 44. 124.


gallus, Tetrao Lagopus, ut Insecta taceam, qualia sunt Papilio Maturna, Phalæna Quercus, &c. In Insula Körn Bahusiæ, Erica 16 oris argenteis quotannis ad singulos focos emitur, ex locis vicinis colligenda *z)*, ubi tegit terram, gramina pellit & emaciat solum *a)*. In Ericetis nix verno tempore maturius liquescit, ut pecudes, ceteris deficientibus, extremos ejus stolones decerpant *b)*. Post exustam Ericam, Agrostis arundinacea crescit per aliquot annos, donec Erica succreverit. Teneram sic oves non veterem Ericam edunt *c)*. Ericeta vastissima, multum in Smolandia apibus sustinendis prosunt *d)*.

Erica *Græcis & Romanis*. Liung *Suecis*. Heide *Germanis*. Heath *Anglis*. Bruyere *Gallis*.

Kalm. Diss. Acad. de Erica Aboæ 1754. 4:to Oeconomica tractat.

---

z) It. W. goth. 183. *a)* It. Scan. 24. *b)* It. Scan. 30. *c)* It. Scan. 57. *d)* It. Oel. 30.



CLVI.



CLVI.

DULCAMARA

PRÆSIDE

D. D. CAR. v. LINNÉ

propoſita

A

GEORGIO HALLENBERG

Gothlando.

Upſaliæ 1771. *Maji* 29.

---

§. I.

Comparantem Medicinam noſtri ævi cum antiquorum, non fugere poteſt, hanc non minus, ac ceteras ſcientias, ſtupenda ſane cepiſſe incrementa. Medicina Veterum mere erat empirica, caſu, ſuperſtitionibus & analogia, neſcio qua, morbi & medicamenti, innixa: noſtra vero tota fere eſt dogmatica, rationibus ſuffulta mechanicis. Sed tantum abeſt, ut in ſummum faſtigium ſit evecta, ut potius permulta adhuc deſiderentur, quæ tamen polliceri videntur noſtri ſeculi ſagacitas & induſtria. Suis, proh dolor! ſcientia laborat impedimentis, quæ accreſcenti officiunt, & quorum tria potiora nominaſſe juvabit.

I. *Physiologiæ Subtilitas.* Etsi largiendum, hanc scientiæ partem opera & industria immortalis Bœrhaavii & illust. Halleri aliorumque ita esse excultam, ut, si Physiologis superioris seculi, perpolitam, quam orbi erudito tradidit Dom. ab Haller, perlustrare contingeret, faterentur sane, se fuisse tirones. Multa tamen latent in iis, quæ ad Encephalum pertinent, (Cerebrum, loquor, Cerebellum, Medullam oblongatam, Spinalem & Nervos), quorum structura subtilissima aciem oculorum quantumvis armatorum longissime fugit, & quorum agendi modum, præcipue in diversis modificationibus Cerebri, & Cerebelli, non nisi confuse rimamur, persuasissimi tamen, Deum & Naturam nihil facere frustra.

II. *Pathologiæ defectus.* Species morborum ad tempus Illustr. Sauvagesii neglectæ fuerunt, Viresque medicamentorum ad Genera tantum relatæ, cum tamen usum medicamentorum præcipue in morbis chronicis præcedere debeat cognitio caussæ, cui sunt opponenda. Adeoque, antequam Species morborum, hoc est, caussas habeamus perspectas, omnis e re medica exulat certitudo physica.

III. *Materiæ medicæ neglectus.* Cum cognitio historica semper præcedere debeat, omnisque compositio & Theoria Medica inutilis sit & vana, si simplicia probe distinguere non valeamus, mirari convenit, hanc Medicinæ partem usque eo esse neglectam, ut in Pharmacopoliis permulta reperiantur simplicia, quæ cui plantæ debeantur, nondum constat, licet diu multumque in usu fuerint. Sed quod plus est, parum solliciti fuimus in qualitatibus eorum inquirendis, ut inde vires eorum eruantur & conferantur cum speciebus ex caussa. Hujus incuriæ caussa ea esse videtur, quod Medici

ci ſemper fere Botanicen ceteris ſcientiæ partibus poſthabuerint, verumque filum Ariadnæum in rimandis viribus medicamentorum, affinitatem loquor vegetabilium, ne ſomniarint quidem. E. g. Conſtitit quidem diu inter omnes, *Corticem Chinæ* ſumma ſua amaritudine frangere acidum febrium intermittentium: ſed quare ex aliis ſumme amaris non idem effectus, mirati ſunt Medici, ignari, Cinchonam militare ſub Ordine naturali *Contortarum*, qui totus eſt inquinans, & cui ineſt viroſi quid, non niſi in calore manifeſtum. Mat. Medicæ non parum attulerunt detrimenti medicamenta compoſita, quibus ſæpe ad pompam & oſtentationem excogitatis, mordicus inhæſerunt Medici. Ex eo accidit, ut poſt felicem ſucceſſum vix dicere valeat Medicus, cui ex ſimplicibus ſanitatem debeat æger convaleſcens. Ne dicam, ex mixtura ſimplicium, odore & guſtu diverſorum, compoſitionem oriri qua vires longe diverſiſſimam. Quod reliquum eſt, Medici, qui honore Doctorali ornati, ad urbes opulentiores abeunt, ita exoticis aſſueſcunt, ut, cum alvus pauperrimi ruſtici eſt reſeranda, medicina ex remotiſſimis terræ regionibus ſit petenda. Hinc factum eſt, ut agricolæ, qui ſummo labore, ne dicam ſervitute, vix conquirere poſſunt, unde vivant, Medicos reformidantes & Pharmacopolia, ubi ſalus auri pondere redimitur, in extremo ad aniculas confugiant neceſſe ſit, & Medicaſtros, cum tamen multitudo eorum ſcientiæ maxime eſſet utilis eamque commendaret. Neque mirandum, in unica urbe opulentiore aliorum regnorum, plures reperiri Medicos, quam apud nos per totum regnum. Quod ſi, nulla ratione ſtatus habita, commiſeratione civium ducamur & incrementum ſcientiæ in patria nobis cordi ſit, quantum fieri poteſt, medicamentis domeſticis eſt indulgendum, quod Medicis, ut dicuntur,

Provincialibus in primis curæ eſſe debet, utpote quorum fidei ſalus vulgi commiſſa eſt, & perſuaſiſſimum habeo, eos ratione ductos & experientia, inter vegetabilia indigena plurima reperturos, quæ nullo modo cedant exoticis. Cum vero ex hiſce Dulcamaram, pro virili, pertractare aggrediar, benevolentiam Lectorum mihi polliceor.

§. II.

Etſi DULCAMARÆ inter officinales Diſpenſatorii noſtri, numerari non contigit, civitate tamen eam donarunt jam dudum Pharmacopolæ. Cum vero in officinis ſermo eſt de Solani herba, intelligitur SOLANUM *nigrum*, non Sol. Dulcamara. Antequam Generoſiſſ. D:nus Præſes anno 1738 Noſocomio navali, quod Holmiæ eſt, præfectus eſſet, vix apud nos in uſu fuit Dulcamara; Ejus autem auctoritate & experientia primum uſus hujus uſque eo invaluit, ut Pharmacopolis non ſine labore & cura ſit hujus copia.

§. III.

SOLANUM *Dulcamara*, caule inermi fruteſcente flexuoſo, foliis ſuperioribus haſtatis, racemis cymoſis. *Syſt. Nat. v. II. pag.* 173. *Flora Suec.* 201. *Mat. Med.* 95.

Solanum ſcandens ſ. Dulcamara. *Baub. pin.* 167.

Solanum lignoſum. *Till. icon.* 154.

Dulcamara. *Dod. pempt.* 402.

Uplandis *Qveſved*, Weſtrogothis *Matleds qviſtar*, Oſtrogothis *Ormbär*, Smolandis *Hällbär*, Wermelandis *Wildbär*, Sudermannnis *Trullbär*, Pharmacopolis *Stipites Dulcamaræ*.

Locus

Locus hujus plantæ plerumque eſt terra humoſa ſ. limoſa, ſubpaludoſa, ad ſepes. Amat enim fulcra, ſine quibus diffuſa ab animalibus conculcatur. Sæpe etjam in ſalicetis inter ſrutices habitat, ut ab iis quodammodo tecta, ab hiemis injuria non lædatur, uti Frangula, cum qua id commune habet, ut careat gemmis. In hortis læta viget, & ſi caules diffuſi, humo ſparſim tecti fuerint, ſinguli radices agunt, & hoc artificio multo citius nobis ejus eſt copia, quam ex ſeminibus.

Deſcriptio hæc eſt:

CAULES plures 3-6 pedales, flexuoſi, teretes, debiles & ſæpe procumbentes, perennes, ſed tantum per aliquot annos.

FOLIA alterna, petiolata, ovata, lævia, integerrima, ſimplicia, ſed ſuperiora haſtata ſeu tripartita: laciniis lateralibus longe minoribus.

RACEMI terminales aut ex ſuperioribus alis foliorum, ramoſi, divaricati, fere cymoſi, pedunculati, nutantes.

COROLLÆ cæruleæ (raro albæ aut incarnatæ), quinquepartitæ, reflexæ.

BACCÆ ovatæ, rubræ, polyſpermæ, fatuæ cum ſapore dulci & amaro mixtis, ingratæ & fere nauſeoſæ.

§. IV.

Huic ſpeciei proxime affinis eſt SOLANUM *quercifolium Syſt. Nat.* 173. quod a noſtra ſolum differt foliis pinnatifidis & caule anguloſo, de cetero Dulcamaræ ſimillimum, niſi quod aëre aperto frigidioris noſtri cœli ſit magis impatiens. Flores

quercifolii non modo colore eodem gaudent ac noſtræ, ſed etjam, quod mirandum, maculas quoque habent ad baſin corollæ. Hinc ſi conjecturis indulgere liceret, a vero non videretur alienum, *S. quercifolium*, cujus patria Peru eſt, ex loci cœlique diverſitate e noſtra Dulcamara prodiiſſe, nullumque eſt dubium, quin hoc in ſua patria vice Dulcamaræ optime fungatur.

§. V.

GENUS Solani, qua omnes ſuas ſpecies hucusque cognitas, in ſe continere aliquid naturæ adverſum, prodit odor viroſus. Scimus, Hiſpanos & qui Barbariam incolunt, veſci fructu *Lycoperſici* ſ. pomis amoris, *Melongenæ* ſ. Solani inſani, ſed vix quidem niſi aſſo aut cocto. Ut vero illa, quæ in hortis apud nos hoſpitantur, ideo cruda ingerantur, non ſum auctor; inde autem nihil ad vires concluditur. Licet Caricæ ab omni veneni ſuſpicione longiſſime abſint, arbor ficus tamen eſt viroſa. *Sol. tuberoſi* Tubera Peruvianis, etjam noſtratibus, ſunt eſculenta. Lubens fateor, ſi corticem exceperis, hiſce minus ineſſe viroſi, quamvis herba viroſiſſima. Quod vero hæc tubera naturæ non ſint amiciſſima, teſtatur, indocta gula famulorum, qui hæc negligunt, niſi fame coacti. Sues, quibus ſenſum olfactus fortiſſimum dedit natura, hæc reſpuunt. Peruviani, apud quos ſponte proveniunt, neque ut naturæ convenientiſſima ejus tubera extollunt. Quin vero fames cum laborioſa vita ex his ferculum parare valeat, quod palmam permultis aliis frumenti ſuccedaneis facile præripiat, nullus dubito, inferiora tamen judico hæc tubera radicibus Helianthi tuberoſi.

§. VI.

§. VI.

QUALITATES plantæ, qua ſaporem & odorem, jam conſiderandæ erunt. Stipites Dulcamaræ, quibus utimur, rejectis radice, ſoliis, floribus baccisque, guſtu gaudent dulci & amaro mixto, palato ingrato. *Liquiritiæ* radix multum habet dulcis parumque amari. Vix cocta dat Decoctum dulce, quod ex diuturniori coctione amareſcit & dulcedinem amittit. Radix *Polypodii* dulcis quidem eſt ſaporis, ſed plus habet amari, quam præcedens, ita tamen, ut prævaleat dulce, quapropter citius coquenda, ne amarum extrahatur & dulce exuatur. De Dulcamara idem merito dici poteſt.

Stipites quidem qualitate viroſa foliis multo ſunt inferiores, præſentiam tamen ejus etjam in his manifeſtat pulvis & decoctum. Vires plantarum ex qualitatibus colliguntur. Sapor hujus dulci & amaro mixtus, eſt naturæ inimicus & nauſeam ſæpe creat, quare etjam Dulcamaram frutices anorexiæ vocant Weſtrogothi; ſed odorem ejus viroſum inprimis faſtidit natura. Hircoſa, Nidoroſa, Tetra & Viroſa, id commune habent, ut ſuffocent nervos, qui ex ſede vitæ machinæ animalis exeunt. Hæc omnia ad portam repudiat natura, ubi guſtus & olfactus, ut publicani, prohibitorum invectioni reſiſtunt. Si vero vi intruduntur, omnes vires vitæ conſpirent, neceſſe eſt, ad ea expellenda vel per alvum, vomitum vel per diureſin, ne quid detrimenti exinde capiat respublica vitalis. Hæc, ſi corroſiva exceperis, præcipua fuere venena, quæ, ut noxia, in exilium ejecerunt veteres. Medici noſtri ſeculi, e contrario, ea jure meritoque in uſum revocarunt, non eo nomine, ut cauſſam morbi tollerent, ut potius his ejectis, omnibus, quæ corpori inſunt, ſordibus, portæ ſimul pateant. Uſus largior Dulcamaræ initio & antequam ſto-

machus ei aſſueverit, vomitum aut nauſeam ſaltem concitat: parcior vero, in lecto procumbente ſudorem, ſed eorum, qui lectum reliquerunt, urinam pellit.

Stipites colligendi ſunt vel primo vere, vel ſine autumni, foliis dum deſtituti odore & ſapore excellunt. In pulverem vix rediguntur, nec electuaria intrant. Si vero ſtipitum ſiccatorum & conciſorum pugillo ſ. drachm. 2. ſ. 4. affunditur libra una aquæ bullientis, quæ poſt quietem ſemihoræ leviſſime ebullivit per octavam horæ partem, vires optime eliciuntur. Ex hoc decocto modice frigefacto, ſumantur mane, quantum continere poſſint, duo vaſa, quæ Decocto Theæ ſumendo inſerviunt, totidemque veſperi hauriantur. Initio Decoctum paululo lactis eſt temperandum. Poſt tres quatuorve dies ſtomachus Decoctum fortius vel ſine lacte admittit, ſine nauſea aliove malo. Neque poſt longiorem uſum quemquam paralyſi linguæ eſſe adfectum, ut narrat D:nus Gouan, umquam vidimus.

Cachectici & Cacochymoſi, quibus ſanguis eſt impurus, vere ineunte, decoctis plerumque utuntur mundificantibus ex Rad. Chinæ, Sarſapar. Lign. Guaj. Saſſafras aliisque exoticis. Hæc vero omnia, & mixta & per ſe, huic ſini obtinendo Dulcamaræ decocto eſſe inferiora, certum ſtatumque apud nos eſt, quod etjam jam dudum teſtatus eſt immort. Bœrhaavius. In tota Mat. Medica nihil eſt, quod huic comparari poſſit, ne dicam, præferri in ejiciendis per diureſin vel aliter e ſanguine aceſcentibus, putreſcentibus, muriaticis, ceterisque, h. e. in morbis Arthriticis, Scorbuticis, Ictericis, Hydropicis, Rheumaticis, quin etjam Syphiliticis. Natura, in hoc expellendo occupa-

ta,

ta, relaxare ſtricturas neceſſum habet. Hinc patet etjam noſtræ utilitas in obſtructionibus levandis, in ſuppreſſis lochiis menſtruisque. Quid? quod, in morbis Phlogiſticis Pleuritide & Peripneumonia.

§. VII.

Neque nobis refragatur experientia.

Dolores Iſchiadicos, Rheumaticos & Oſteocopos, quorum cauſa proxima eſt acre in tela celluloſa & perioſteo hærens, & quibus ſæpiſſime affecti ſunt ruſtici, ſalſo & duro victu utentes, certe ex hujus uſu remittere novimus. In Podagra hoc non ſumus experti, nonnullis affirmantibus Podagram inde mobilem fieri & vagam.

Icterum hoc infuſo curari teſtantur Tragus, Vierius aliique. Aſſeſſor J. Rothman, celebris ille, dum vixit, Territorii Vexionienſis Medicus, ingenue profeſſus eſt, ſe nihil expertum, icterico ſanando aptius certiusque, quam Decoctum Dulcamaræ.

Scorbuto mederi confirmant experimenta Gen. Dom. Præſidis capta in noſocomio nav. Holmenſi, nec non Hiſtoria Reg. Acad. Scient. Pariſinæ, anni 1761. ubi pag. 54 ſeqq. memorabilis caſus occurrit, quem ſtrictim adjungere lubet. Virgo 22 annorum ſenſim marceſcere incœpit cum laſſitudine, vago articulationum dolore, tuſſi, dolere faucium & amphimerina. His ſuperveniunt non ita multo poſt Carcinoma utriusque labii fœtidum, Stomacace cum Caſu dentium, ulcera faucium & oris, maculæ Scorbuticæ per totum corpus ſparſæ, dolor oſteocopus, exoſtoſes in criſta tibiæ & brachio dolentes non colorati. &c.

Hæc oppugnata ſunt Syrupis acidis, ſpiritu Cochlcariæ, unguento mercuriali &c. Ulcera variis tractabantur. Tamen dolor die nocteque premebat, ni ſopiretur narcoticis. Tandem his omnibus fruſtra tentatis, uſum decocti Dulc. ſuaſit Ill. Sauvages, qui ſe hoc a Generoſ. Domino Præſide didiciſſe retulit, tanquam ſummum in Scorbuto ſpecificum.

Dulcamaram igitur adhibere cœpit 9. Julii an. 1759. Initio ex hujus uſu exacerbabantur ſymptomata cum Amblyopia. Sed ad hæc non deſpondit animum Medicus, cui ſalutem commiſerat ægra. Sub initio Auguſti vero ſymptomata minuebantur, ulcera laudabili pure manabant, maculæ evanuerunt, appetitus rediit, ulcera & gingivæ conſolidabantur & exoſtoſium ne veſtigium quidem ſupererat fine Septembris ejusdem anni.

Obſ. Decoctum paratum erat ex recentibus ſtipitibus, & quarta quavis hora propinatum eadem fere ac antea monuimus, doſi.

Lochia & Menſtrua ſuppreſſa hujus uſu redeunt. Complures nominare poſſemus, quæ ex lochiis retentis febre, delirio, quin maculis correptæ, per hoc Decoctum revocatæ ſunt quaſi ex faucibus orci, etſi Diarrhœa initio ſupervenit.

Contuſionibus & ſugillationibus medetur noſtra. Teſtatur hoc Infuſum Traumat. Fulleri, ex cujus uſu ipſe Fullerus aliique viderunt grumos reſoluti cruoris in matula. Weſtrogothi hoc utuntur in Pleuritide & Peripneumonia ſæpe cum ſucceſſu, licet non ſemper.

Scabiem hac pellunt Uplandi, unde etjam ob vim peculiarem in hoc malo ab iis vocatur *Quesved*

Quesved, quaſi lignum Scabiei. Cauſſam Scabiei eſſe Acaros extra omnem dubitationis aleam poſuerunt Microſcopia. Acaros vero ab hoc infuſo occidi tantum abeſt, ut credamus, ut potius ex hac ſanguinem impurum, quem amant animalcula, ablui putemus & corrigi. Acari enim in ſanguine impuro lætius propagantur & vigent, quemadmodum pediculi in capite impuro & manante.


Syphilis. Ante 15 annos & quod excurrit, mulier quædam gravida, cum Holmia huc adveniſſet, partum edidit in ſumma paupertate. Miſeriam hujus mirum quantum adauxit ſuppreſſio lochiorum, quam ſequebantur febris, delirium, ſpasmi & maculæ. Præter hæc etjam Syphilitide erat infecta. Cum vero ex auctoritate Gen. D:ni Præſidis decoctum Dulcamaræ ei eſſet datum, non ſolum brevi redierunt lochia, ſed ſymptomata Syphilitica etjam ſimul levari compertum eſt, &, poſt repetitum uſum, perfecte ex utroque morbo convaluit ægra. Celebris ille Monſpelienſium Profeſſor D:nus Sauvages, qui hoc reſcivit, veritatem ſæpiſſime, tempore verno præſertim, comprobavit. In reliquiis Syphiliticis, Arthritide vaga, puta, Doloribus Oſteocopis nocturnis, Puncturis, Debilitatibus uſum hujus eximium poſtea docuerunt experimenta. Neque hoc celatum D:no Sauvages. Quo ſolo, ſanitatem reddidit Pathologus ſummus Nobili cuidam Sueco, qui, nulla remedia in patria enumeratis malis tollendis paria credens, Galliam petiit. Quod non potuit non mirari D:nus Sauvages, quem fateri haud puduit, ſe hoc remedium D:no Præſidi debere.

§. VIII.

§. VIII.

Nullus esset dicendorum finis, si omnes enumerarem morbos, in quibus Dulcamaram profuisse referunt Medici. Cum vero confusio & suspicio quædam oriri posset ex usu ejusdem remedii in infinitis fere Morborum Speciebus, quæ tamen eandem agnoscunt caussam, reliquis recensendis supersedeo, ex viribus cum caussis collatis tantummodo colligens, annuente experientia, nostra nihil fortius in ejiciendis e sanguine impuritatibus Scorbuticis, Arthrit., redundante bile in ictericis, in derivandis humoribus in Asthmate humorali, in resorbendo cruore in contusionibus & sugillationibus, expellenda materia exanthematica in Syphilide, Scabie, Miliaria, in promovendo excretiones naturales sc. urinam, lochia, menstrua, cetera, esse; memor tritissimi: *Non qui multa, sed qui utilia scit, ille sapit.*



CLVII.

PANDORA ET FLORA RYBYENSIS

QUAM

PRÆSIDE

D. D. CAR. v. LINNÉ

proposuit

DANIEL HENR. SÖDERBERG.

Junecopia Smolandus.

Upsaliæ 1771. Junii 26.

Easdem non ubique florere plantas; neque eadem ubique habitare animalia, cuique notissimum esse arbitror. Planta enim quævis suo delectatur solo, Animalque quodvis alium præ alio cibum & locum amat, & generi cuique suæ sunt deliciæ: trahit sua quemque voluptas. Variante igitur loco solove, variare etiam plantas animaliaque cernimus, aliamque præ alia regionem pluribus & præstantioribus thesauris regni naturæ superbire. Si hi regionis cujusque thesauri notiores essent, Rempublicam haud parum utilitatis inde capturam esse, & Historiam Naturalem evidenter locupletari, nullus dubito. Nec dubitationis locus erit, siquidem jam recorder Nob. D. Præsidem in prælectionibus suis anno 1767. verno tempore habitis, hanc rem Auditoribus suis summa oris

oris facundia inculcaſſe, & quibus ruri degere contingeret ſuaſiſſe, ut plantas ibi ſponte creſcentes annotarent, cum publicoque communicarent.

Cumque mihi jam duas æſtates ruri degere contigerit in prædio RYBY, Nob. D. Archiatri & Collegii Medici Præſidis, ABRAHAMI BÆCK, in Territorio *Sotholm* Sudermanniæ atque Parœcia *Veſterhaninge* prope templum ſito, a maris ſinubus dimidio, ab urbe vero Holmia ſecundo cum dimidio milliari diſtante, ſummam percepi voluptatem, plantas heic circumcirca ſponte naſcentes, ut & harum incolas, inſecta loquor, annotare. In hæc, præ cæteris animalibus, inquirenda & cognoſcenda meam qualemcunque inprimis contuli operam, his præcipue ductus rationibus: 1:o Admiranda ipſorum ſtructura, forma, venuſtate & œconomia ſingulari. 2:o Utilitate & noxa, quæ ex his hominibus adfluit, & 3:o Ut de his male ſentientes, meliora docere & ad bonam frugem ducere, melius valerem.

Et præterea Inſecta & Plantæ tam arcto inter ſe connectuntur vinculo, ut cum utilitate ſeparatim tractari minime queant; inſecta enim magnam ad partem ex plantis nutriuntur, & plantæ ad certum numerum ex inſectis ſæpius rediguntur, adeo ut utilitatem ex plantis capturum, modum eas ab inſectis propriis defendendi noſſe ſæpe oporteat, & hæc nutrire qui voluerit, ex plantis propriis nutrimentum illorum, ſcire neceſſum habeat. Ne de fine illo maximo, in quem hæc duo creata voluerit Summus rerum Opifex, nempe ut Naturalia in juſto inter ſe æquilibrio cohibeant, quid quam dicam. Ambo demum metamorphoſin plerumque ſubeunt, ut, quemadmodum ex herba fit fructificatio, ita etiam ex larva inſectum declaratum.

Quæ

Quæ ex his, *Insectis* scilicet & *Plantis*, præterito tempore observavi, ante oculos jam qualiacunque L. B. habes, ex quibus thesauros hujus regionis ipse æstimes.

NOMINA *Systematis Naturæ* editionis XII:mæ secutus sum; Svecica qui vult: *Faunam* & *Floram* Svecicam evolvat.

DESCRIPTIONES, ne actum agerem, & ut brevis essem, omisi; nonnullas tamen, re postulante, cum nota infra adjunxi, ubi etiam alia quæ memorare operæ pretium duxi, collocavi.

FREQUENTIAM litera initiali indicavi, significante f *frequens*, p *passim* & r *rarius*.

PANDORA INSECTORUM RYBYENSIUM.

COLEOPTERA.

Scarabæus	*cylindricus*	r
	nuchicornis	p
	erraticus	r
	Fossor	f
	fimetarius	f
	conspurcatus	f
	stercorarius	f
	vernalis	f
	sabulosus	r
	Melolontha	r
	solstitialis	f
	fasciatus	f
	brunneus	r
	auratus	f
Lucanus	*Caraboides*	r
Dermestes	*lardarius*	f
	pellio	f
	typographus	p
	fenestralis	p

Ptinus

	Scarabæoides	p
	ferrugineus	r
	pulicarius	p
	pſyllius	f
	niger	p
Ptinus	*pectinicornis*	r
	pertinax	f
	mollis	p
	fur	p
Hiſter	*unicolor*	p
Gyrinus	*Natator*	f
Byrrhus	*Scrophulariæ*	f
	Pilula	p
Silpha	*Veſpillo*	p
	quadripuſtulata	r
	atrata	r
	opaca	f
	ſabuloſa	r
	ferruginea	r
	aquatica	p
Caſſida	*nobilis*	r
Coccinella	2. *punctata*	p
	5. *punctata*	f
	7. *punctata*	f
	13. *punctata*	f
	14. *punctata*	p
	2. *puſtulata*	p
	4. *puſtulata*	p
	6. *puſtulata*	p
	10. *puſtulata* a)	r
	14. *puſtulata*	p

Chry-

a) Nigra, magnitudine mediocri. *Elytra* nigra, quodlibet maculis 5 fulvis. *Thorax* fulvus punctis 4 nigris, poſterioribus a ſe remotioribus, inter quæ punctum nigrum minimum. *Pedes* fulvi. *Abdomen* ad latera fulvum, diſco nigro.

Chryſomela	*Tanaceti*	p
	hæmorrhoid.	r
	Graminis	f
	Alni	p
	Betulæ	p
	faſtuoſa b)	p
	Hypochæridis	r
	vitellinæ	f
	Polygoni	p
	ſtaphylæa	p
	Populi	f
	viminalis	f
	collaris	p
	marginata	p
	marginella	r
	Hyoſcyami	r
	atricilla	p
	Helxines	p
	nemorum	p
	ſericea	r
	merdigera	r
	Capræa	f
	Phellandrii	r
Hiſpa	*clavicornis*	r
Curculio	*Ceraſi*	p
	Pini	f
	Lapathi	r
	Segetis	p
	Abietis	p
	Rumicis	f
	ovatus	p

argen-

b) Differt a *Chryſ. Graminis* magnitudine, qua minor. *Coleoptris* aureis: lineis tribus longitudinalibus cæruleis, quarum media ad utrumque Elytron pertinet. *Thorace* denique *Capiteque* cæruleis.

	argentatus	f
	lineatus	p
	incanus	f
Attelabus	*formicarius*	f
	mollis	p
	Bupreſtoides	p
Cerambyx	*hiſpidus*	p
	ædilis	f
	ſutor	p
	noctis c)	r
	inquiſitor	f
	ruſticus	p
	violaceus	f
	bajulus	f
	undatus	r
Leptura	*melanura*	f
	rubra	p
	ſanguinolenta	f
	teſtacea	f
	virens	p
	4 faſciata	r
	virginea	p
Necydalis	*minor*	r
Lampyris	*Noctiluca*	r
	ſanguinea	p
Cantharis	*fuſca*	f
	livida	f
	rufa d)	r

ænea

c) Mediocris. Totus niger vellere cinereo tectus. *Thorax* ſpinoſus. *Os, Antennarumque* baſis ferruginea. *Caput* oblongum. *Oculi* atri. *Antennarum* articuli nigri. *Femora* nigra. *Pedes* ſubferruginei *penicillis* tribus *Tarſi* griſeis. *Elytra* ſtriata. *Scutellum* cinereum.

d) Majuſcula. *Thorax* & *Elytra* rufa. *Oculi* & *Alæ* nigra. Cetera omnia atra.

	ænea	f
	bipuſtulata	f
	faſciata	p
	minima	p
	teſtacea	p
	atra	r
	viridiſſima	p
Elater	*brunneus*	r
	cruciatus	r
	aterrimus	p
	caſtaneus	f
	ſanguineus	f
	balteatus	r
	ſputator	p
	obſcurus	p
	murinus	p
	teſſellatus	p
	æneus	f
	pectinicornis	r
Cicindela	*campeſtris*	f
	ſylvatica	r
	aquatica	p
Bupreſtis	*ruſtica*	r
	4 *punctata*	p
	viridis	r
Dytiſcus	*ſemiſtriatus*	r
	ſtriatus	p
	cinereus	f
	bipuſtulatus	p
	paluſtris	p
	minutus	r
Carabus	*hortenſis*	f
	leucophthalmus	f
	cephalotes	r
	latus	p
	vulgaris	p
	cæruleſcens	r

	cupreus	f
	2 punctatus	p
	6 punctatus	r
	ustulatus	r
Tenebrio	*molitor*	f
	quisquilius	p
	mortisagus	f
Meloë	*Proscarabæus*	f
Mordella	*frontalis*	p
	thoracica	p
	flava	r
Staphylinus	*murinus*	f
	maxillosus	p
	erythropterus	r
	politus	f
	2 guttatus	f
	chrysomelinus	r
	lignorum	r
	piceus	r
Forficula	*auriculata*	f

HEMIPTERA.

Gryllus	*domesticus*	f
	verrucivorus	f
	stridulus	f
	viridulus	p
	biguttulus	f
	grossus	p
Cicada	*bifasciata*	f
	coleoptrata	r
	spumaria	p
	interrupta	p
	viridis	r
Cimex	*lectularius*	p
	corticalis	p
	Betulæ	r

Car-

	Cardui	p
	griſeus	f
	baccarum	f
	Juniperinus	f
	cæruleus	r
	oleraceus	p
	acuminatus	r
	Hyoſcyami	f
	dolabratus	p
	lacuſtris	f
Aphis	*Ribis*	f
	Padi	p
	Salicis	f
Chermes	*Caltbæ*	f
Thrips	*Pbyſapus*	f

LEPIDOPTERA.

Papilio	*Apollo*	p
	Cratægi	r
	Braſſicæ	f
	Rapæ	f
	Napi	p
	Sinapis	r
	Rbamni	f
	Hyperantbus	f
	Io	p
	Mæra	f
	Ligæa	f
	Semele	f
	Jurtina	p
	Janira	p
	Cydippe	f
	Antiopa	p
	Urticæ	f
	C album	p
	Lucina	r
	Euphroſyne	r

	Niobe	f
	Arion	r
	Argus	f
	Idas	p
	Argiolus	p
	Rubi	f
	Pamphilus	f
	Arcanius	f
	Phlæas	p
	Virgaureæ	p
	Hippothoë	r
	Comma	f
	Malvæ	p
Sphinx	*apiformis*	r
	Filipendulæ	f
	Statices	r
Phalæna	*Pini*	r
	Caja	r
	Salicis	p
	Coſſus	r
	lubricipeda	p
	Graminis	p
	Jacobææ e)	r
	Pronuba	p
	exclamationis	p
	Piſi	p
	tripſalia	p
	atomaria	f
	puſaria	f
	Chærophyllata	p

cla

e) Media. *Alæ ſuperiores* utrinque virides, lineis duabus longitudinalibus purpureis, una minore in ipſo margine interiore, altera poſterius incraſſata ad marginem exteriorem; ad marginem vero poſteriorem maculis duabus purpureis. *Alæ inferiores* ſupra & infra purpureæ, margine ſaturate viridi. *Abdomen* viridi nigrum.

	clathrata	p
	Grossulariata	r
	Chenopodiata	p
	fluctuata	r
	strigilata	r
	Urticata	f
	Nymphæata	p
	bilineata	f
	purpurata	p
	cingulata	p
	viridana	p
	Brunnichana	r
	farinalis	p
	pingvinalis	f
	purpuralis	p
	sociella	f
	colonella	p
	Pinetella!	r
	pratella	p
	culmella	p
	Pomonella	f
	argentella	p
	Rœsella	r
	tetradactyla	p

NEUROPTERA.

Libellula	*flaveola*	f
	depressa	p
	grandis	p
	Virgo γ & δ	f
	Puella α & δ	p
Ephemera	*vulgata*	p
	horaria	p
Phryganea	*bimaculata*	p
	nigra	r
	flava	f

Hemerobius	*Perla*	f
	albus	r
Myrmeleon	*Formicarium*	r
Panorpa	*communis*	f

HYMENOPTERA.

Tenthredo	*Vitellinæ*	r
	Abietis	p
	Cerasi	r
	mesomela	f
	rufipes	p
	campestris	f
	atra	f
	viridis	f
	ovata	p
	Rosæ	f
	cincta	r
	livida	p
	Rapæ	f
	carbonaria f)	p
Sirex	*gigas* g)	p
	camelus	r
Ichneumon	*sarcitorius*	r
	extensorius	p
	constrictorius h)	r

cul-

f) Mediæ magnitudinis. *Antennæ* articulis septem, quorum ultimi albi, capiti vero propiores nigri. *Os* album. *Thorax*, *Abdomen*, Pedesque *posteriores* nigra; *anteriores* testacei. Juxta Thoracem ad latera Abdominis puncta duo alba. *Alæ* reticulatæ fuscæ *lunula marginali* nigra.

g) *Asilum* secum asportans in meas incidit manus.

h) Descriptioni addenda: *Abdominis segmenta* ultima margine albida. *Pedes* fulvi, *femoribus* nigris. *Alæ* Flavicantes.

	culpatorius	p
	molitorius	r
	luctatorius	p
	volutatorius	f
	deliratorius	r
	comitator i)	p
	incubitor	f
	reluctator	r
	manifestator	p
	compunctor	r
	titillator	p
	venator k)	f
	mandator	p
	inculcator	f
	jaculator	p
	affectator	p
	luteus	f
	circumflexus	r
	cinctus	p
Sphex	*sabulosa*	f
	viatica	p
	pectinipes	p
	cribraria	f
	rufipes	p
	arenaria l)	f
	fossoria	r

i) Medius. Totus ater. *Antennæ* nigræ annulo albo. *Oculi* & *Tibiæ anteriores* ferrugineo nigra. *Alæ* obſcuriores *lunula marginali.*

k) *Corpus* atrum immaculatum. *Antennæ* nigræ articulis plurimis. *Palpi* teſtacei. *Pedes* rufi. *Tarſus* ex apice incraſſato nigro, ſetas duas rubras inæquales protrudit.

l) Habitat in arena juxta viam gregatim. *Tipulas* & *Muſcas* prædatur, inque cuniculos eodem ac *Sphex ſabuloſa* modo ſecum aſportat.

	rybyensis m)	p
	leucostoma	p
	vaga n)	p
Chrysis	*ignita*	f
	cyanea	r
	fulgida	r
Vespa	*vulgaris*	f
	rufa	f
	parietum	p
	muraria	f
	spinipes	p
	arvensis	f
	campestris	p
	bifasciata	f
	bidens	p
Apis	*longicornis*	r
	centuncularis	p
	retusa o)	p
	bicornis	r
	truncorum	p
	florisomnis	f
	belvola	r

fuc-

m) Atra glabra, fronte lutea, abdomine fascia lutea interrupta. DESCR. Minor, atra. *Thorax* ad basin *Alarum* puncto luteo. *Abdominis* segmentum primum infundibuliforme parvum nigrum, secundum ad basin punctis duobus luteis in altero sexu, tertium luteum in medio triangulo atro interruptum, reliqua atra. *Pedes, Femoribus* atris, lutei. *Alæ* fuscæ reflexæ. *Oculi* fusci.

n) Minor, nigra, glabra. *Thorax* antice lineola lutea. *Scutellum* luteum. *Abdomen* fasciis tribus luteis: primis interruptis, ultima remotissima; segmentum primum erectum tenue. *Alæ* fuscæ. *Pedes* flavi, *femoribus* supra nigris, subtus nigris dein luteis. *Antennæ* nigræ articulo primo luteo; lineola ante oculos lutea.

o) Habitat gregatim in muro *Bergæ*.

	fuccincta	p
	mellifica	p
	cunicularia	r
	variegata	r
	conica	p
	annulata	f
	ruficornis	p
	terreſtris	f
	hortorum	f
	pratorum	r
	lapidaria	p
	ſylvarum	p
	Muſcorum	p
	Hypnorum	r
	lucorum	p
	acervorum	p
	rybyenſis p)	p
Formica	*ruſa*	f
	fuſca	f
	nigra	p
	obſoleta	f
	rubra	p
	cæſpitum	f
Mutilla	*acarorum.*	r

DIPTE-

p) Nigra, abdominis ſegmentis ſtigmatibusque teſtaceis, pedibus variis. DESCR. *Corpus* Culice majus, nigrum. *Caput* ſubcinereo pubeſcens, *Ore* teſtaceo. *Antennæ* filiformes, longitudine thoracis, nigræ, articulis undecim. *Alæ* hyalinæ: *Stigmate* teſtaceo marginali. *Abdomen* læve ſubcylindricum obtuſum, ſupra nigrum ſegmentis teſtaceis. *Spiracula* punctorum inſtar nigra. Subtus nigrum, ſed antice excepta baſi teſtaceum. *Femora* nigra. *Tibiæ* in medio nigricantes, cetetum uti *Plantæ*, flaveſcentes.

DIPTERA.

Oeſtrus	*Bovis q)*	p
Tipula	*rivoſa*	f
	crocata	f
	oleracea	f
	lunata	f
	bimaculata	p
	plumoſa	p
	putris	f
	febrilis	p
Muſca	*plebeja*	p
	Morio	p
	maura	r
	clavipes	r
	feneſtralis	p
	ſcolopacea	p
	anilis	p
	bombylans	p
	myſtacea	p
	lappona	r
	pendula r)	f
	florea	f
	nemorum	f
	arbuſtorum	p
	lucorum	f
	bicincta	r
	devia	p
	diophthalma	r

feſtiva

q) Hunc in naſo equorum ova deponere ſæpius vidi. Larvas auriga deinde menſe Martio ex equi fauce extractas mihi attulit, quas hujus fuiſſe fœtus lubens ſubſcribo.

r) In aëre quaſi ſuſpenſa eodem diu reſtat loco, alis licet utatur, deinde in alium locum celerrime & citatiſſime volitat, ubi eodem ac antea modo ſuſpenſa in aëre videtur, & ſic quidem pluries, donec tandem feſſa requiem capiat.

festiva	f
glaucia	r
Ribesii	f
scripta	p
mellina	p
pipiens	p
segnis	r
pellucens	p
meridiana	r
cæsar	f
mortuorum	f
vomitoria	f
albifrons	p
fera	p
grossa	p
Larvarum	f
Radicum	p
pluvialis	p
roralis	r
meteorica	p
putris	f
cupraria	p
viduata	p
Petronella	p
ungulata	p
stercoraria	f
parietina	p
vibrans	p
flava	p
Arnicæ	r
Hyosyami	r
amica s)	r

Taba-

s) Antennis setariis pilosa testacea, alis albo nigroque variis. DESCR. Magnitudine M. *Arnicæ*, testacea. *Oculi* nigri. *Thorax* punctis nigris plurimis. *Abdominis* dorsum maculis longitudinalibus nigris. *Pedes* testacei, *plantis* nigris. *Alæ* albo nigroque tessellatæ.

Tabanus	*Bovinus*	f
	autumnalis	f
	rusticus	p
	Bromius	p
	tropicus	p
	pluvialis	f
	cæcutiens	p
Culex	*pipiens*	f
	pulicaris	f
Empis	*pennipes*	r
	livida	p
	stercorea	p
Conops	*calcitrans*	f
	macrocephala	r
	flavipes	p
	ferruginea	p
	testacea	r
Asilus	*crabroniformis*	f
	gibbosus	f
	gilvus	f
	germanicus t)	p
	forcipatus	f
	Tipuloides	p
	Oelandicus u)	p
	Morio v)	r

Hip-

t) Ab Asilo forcipato *Femoribus* atris, *Tibiis* rubris, *Abdomine* ferrugineo, *Alis* basi albis, ut & magnitudine qua forcipatum superat, distinctissimus. Individuum unum minus obtinui: *Alis* totis fuscis, quod forsan mas?

u) Dum vivit, *Abdominis* latera rubra & *Halteres* flavæ. *Frons* semper argentea.

v) Magnitudine Muscæ *Morioni* cedit. *Caput*, *Thorax*, *Abdomen*, *Pedes*, *Rostrum*que nigra. *Oculi* brunnei. *Thorax* ad latera villosus. *Abdomen* maculis 4 albis lateralibus, ad marginem subtus ferrugineum. *Alæ* hyalino & albo nigroque variæ.

Hippopofca	*Equina*	f
	avicularia	p

APTERA.

Lepisma	*faccharina*	p
Podura	*minuta*	f
	fimetaria	f
Acarus	*Ricinus*	p
	Siro (cafei)	f
	holofericeus	p
Aranea	*diadema x)*	p
	fcenica y)	f
	virefcens	f
Monoculus	*pulex*	p
Onifcus	*Afellus*	p
Scolopendra	*forficata*	f
Cancer	*Aftacus*	f
Julus	*terreftris*	r

FLORA RYBYENSIS.

MONANDRIA.

Callitriche	*verna*	f

DIANDRIA.

Circæa	*alpina*	r
Veronica	*officinalis*	f
	ferpyllifolia	p
	Beccabunga	p
	Anagallis	r
	Chamædrys	f
Lycopus	*europæus*	p
Anthoxanthum	*odoratum*	f

TRI-

x) In parietibus Mufcas captura, faltus facit citiffimos.

y) Baculum aut fimile quid ei admotum irata apprehendere conatur.

TRIANDRIA.

Valeriana	*officinalis a)*	p
Scirpus	*paluſtris*	p
	maritimus	f
Eriophorum	*vaginatum*	f
	polyſtachyon	p
Phleum	*pratenſe*	p
Alopecurus	*pratenſis*	f
	geniculatus.	p
Aira	*cæſpitoſa*	p
	flexuoſa	f
Poa	*trivialis*	f
	compreſſa	p
Briza	*media*	f
Dactylis	*glomerata*	f
Cynoſurus	*cæruleus*	f
Feſtuca	*ovina*	p
	rubra	p
Bromus	*ſecalinus*	f
	arvenſis	p
Avena	*pratenſis*	p
Arundo	*phragmites*	r
Triticum	*repens*	f

TETRANDRIA.

Scabioſa	*Succiſa*	f
	arvenſis	p
Aſperula	*odorata*	r
Galium	*paluſtre*	f
	uliginoſum	p
	verum	f
	boreale	f
	Aparine	f
Plantago	*major*	f

Al-

a) Contra Dyſenteriam boum ab incolis laudatur.

	media	p
	lanceolata	p
	maritima	p
Alchemilla	*vulgaris*	f
Cuſcuta	*europæa*	p
Potamogeton	*natans*	f
	perfoliatum	p
	lucens	p
	gramineum	f
Sagina	*procumbens*	f

PENTANDRIA.

Myoſotis	*ſcorpioides*	p
Lithoſpermum	*arvenſe*	r
Anchuſa	*officinalis*	f
Cynogloſſum	*officinale*	f
Pulmonaria	*officinalis*	r
Aſperugo	*procumbens*	p
Lycopſis	*arvenſis*	p
Echium	*vulgare* b)	r
Primula	*veris*	f
	farinoſa	p
Menyanthes	*trifoliata*	p
Hottonia	*paluſtris*	p
Lyſimachia	*vulgaris*	p
Convolvulus	*arvenſis*	f
Campanula	*rotundifolia*	f
	perſicifolia	p
	latifolia	r
	glomerata	r
Verbaſcum	*Thapſus*	p
	nigrum	p

Datu-

b) Auſtralis alioquin Sveciæ planta, a nobis tantum obſervata fuit ad prædium *Farſtad* copioſa.

Datura	*Stramonium c)*	r
Hyofcyamus	*niger*	f
Solanum	*Dulcamara*	p
	nigrum	p
Rhamnus	*Frangula*	p
Ribes	*alpinum*	r
Glaux	*maritima*	p
Afclepias	*Vincetoxicum*	r
Chenopodium	*Bonus Henricus*	p
	rubrum	f
	viride	f
Ulmus	*campeftris*	p
Gentiana	*Centaurium*	r
	campeftris	p
Athamanta	*Libanotis*	r
Laferpitium	*latifolium*	r
Heracleum	*Sphondylium*	r
	anguftifolium	r
Angelica	*Archangelica*	r.
	fylveftris	p
Phellandrium	*aquaticum*	p
Æthufa	*Cynapium*	p
Chærophyllum	*fylveftre*	f
Carum	*Carvi*	r
Pimpinella	*faxifraga*	f
Viburnum	*Opulus*	r
Alfine	*media*	f
Parnaffia	*paluftris d)*	p
Statice	*Armeria*	r
Linum	*catharticum*	f

Myo-

c) Exotica aliunde planta propagata fuit ex hortis & jus civitatis adepta.

d) Hæc dum floret *Stigmate* omnino deftituitur, quamvis ftigmata, peracta anthefi, quatuor obtufa exferat. Uti nulla fructificatio mafcula antheris five polline deftituitur, ita nulla ftigmate caret, excepta *Parnaffia* dum floret, & novi generis *Agyneja*; fed hæc in apice germinis poro perforatur, ut pollen porum intrans fœcundet femina.

Myoſurus	*minimus*	p

HEXANDRIA.

Allium	*oleraceum*	p
Ornithogalum	*luteum*	f
	minimum	f
Convallaria	*majalis*	f
	Polygonatum	p
	bifolia	p
Juncus	*bulboſus*	f
	bufonius	p
	piloſus	p
	campeſtris	f
Rumex	*criſpus*	f
	acutus	f
	aquaticus	p
	Acetoſa	p
Triglochin	*paluſtre*	p
	maritimum	p
Aliſma	*Plantago*	p

HEPTANDRIA.

Trientalis	*europæa*	f

OCTANDRIA.

Epilobium	*anguſtifolium*	f
	montanum	p
	paluſtre	p
Vaccinium	*Myrtillus*	p
	uliginoſum	p
	Vitis idæa	f
	Oxycoccus	r
Erica	*vulgaris*	f
Daphne	*Mezereum*	r
Polygonum	*viviparum*	p
	amphibium	p
	Hydropiper	f

	Persicaria	p
	aviculare	f
Paris	*4 folia*	p

DECANDRIA.

Monotropa	*Hypopitys*	r
Ledum	*palustre*	p
Arbutus	*Uva ursi*	f
Pyrola	*rotundifolia*	f
	minor	r
	secunda	p
	uniflora	p
Chrysosplenium	*alternifolium*	p
Saxifraga	*granulata*	f
Scleranthus	*annuus*	p
Dianthus	*deltoides*	p
Silène	*nutans*	p
Stellaria	*graminea*	f
Arenaria	*trinervia*	p
	serpyllifolia	p
	rubra α & β	f
Sedum	*Telephium*	p
	album	r
	acre	f
Oxalis	*Acetosella*	p
Agrostema	*Githago*	p
Lychnis	*Flos cuculi*	f
	Viscaria	f
	dioica	r
Cerastium	*viscosum*	f
	vulgatum	p
Spergula	*arvensis*	f
	nodosa	p

DECANDRIA.

Lythrum	*Salicaria*	p
Agrimonia	*Eupatoria*	r

Ico

ICOSANDRIA.

Prunus	*Padus*	p
	ſpinoſa	r
Cratægus	*Aria*	p
	Oxyacantha	r
Sorbus	*aucuparia*	p
Pyrus	*Malus*	r
Spiræa	*Filipendula*	p
	Ulmaria	f
Roſa	*canina*	f
Rubus	*idæus*	p
	cæſius	p
	ſaxatilis	p
	Chamæmorus	r
Fragaria	*veſca*	f
Potentilla	*Anſerina*	f
	argentea	p
	verna e)	p
	reptans	p
Tormentilla	*erecta*	f
Geum	*rivale*	f
Comarum	*paluſtre*	p

POLYANDRIA.

Actæa	*ſpicata*	r
Chelidonium	*majus*	p
Papaver	*dubium*	p
Tilia	*europæa*	p
Ciſtus	*Helianthemum*	r
Delphinium	*Conſolida*	p
Aquilegia	*vulgaris*	r
Anemone	*Hepatica*	p
	nemoroſa	f

G 3 Tha-

e) Frequentiſſima in campis noſtris, adeo, affinis Pot. *aureæ Halleri*, ut etiamnum dubitem, an vere ſpecie diſtincta ſit.

Thalictrum	*flavum*	r
Ranunculus	*Flammula*	r
	Ficaria f)	f
	sceleratus	r
	bulbosus	p
	repens	r
	aquatilis	p
Caltha	*palustris*	f

DIDYNAMIA.

Ajuga	*pyramidalis*	p
Mentha	*aquatica*	p
	arvensis	r
Glecoma	*hederacea*	p
Lamium	*album*	p
	purpureum	f
	amplexicaule	p
Galeopsis	*Ladanum*	p
	Tetrahit	f
Stachys	*sylvatica*	p
Leonurus	*Cardiaca*	p
Origanum	*vulgare*	r
Thymus	*Serpyllum*	f
Scutellaria	*galericulata*	r
Prunella	*vulgaris*	f
Rhinanthus	*Crista galli*	f
Euphrasia	*officinalis*	f
	Odontites	p
Melampyrum	*cristatum*	r
	nemorosum	f
	pratense	f
	sylvaticum	p

Pedi-

f) Qui hanc a *Ranunculis* ob numerum petalorum & calycis genere distinguit, ut *Hepaticam* a reliquis *Anemonibus*, nescit, quid genera naturalia sint.

Pedicularis	*palustris*	f
Antirrhinum	*Linaria*	p
	varietas g)	r
Scrophularia	*nodosa*	p

TETRADYNAMIA.

Myagrum	*sativum*	p
Draba	*verna*	f
Thlaspi	*arvense*	f
	campestre	r
	Bursa pastoris	f
Dentaria	*bulbifera*	r
Cardamine	*pratensis*	f
	amara	r
Sisymbrium	*amphibium*	f
	Sophia	p
Arabis	*thaliana*	r
Turritis	*glabra*	p
	hirsuta	r
Brassica	*campestris*	f
Sinapis	*arvensis*	p
Raphanus	*Raphanistrum*	p

MONADELPHIA.

Geranium	*cicutarium*	f
	robertianum	p
	rotundifolium	r
	sanguineum	p
Malva	*rotundifolia*	p

g) Occurrit varietas flore pleno ad *Thunam* in argilloso solo ripæ, omnino simillima illi, quæ a Chinensibus in hortis eorum colitur ob flores suos speciosos, & inde inter siccatos asportatur sæpius.

Diadelphia.

Fumaria	*officinalis*	f
Polygala	*vulgaris*	f
Anthyllis	*Vulneraria*	r
Orobus	*tuberoſus*	f
Lathyrus	*pratenſis*	f
Vicia	*ſylvatica*	r
	Cracca	f
	ſativa	p
Ervum	*tetraſpermum*	p
	hirſutum	p
Trifolium	*repens*	f
	pratenſe	f
	arvenſe	p
	montanum	p
	agrarium	p
Lotus	*corniculata*	f
Medicago	*lupulina*	p

Polyadelphia.

Hypericum	*quadrangulare*	p
	perforatum	p

Syngenesia.

Tragopogon	*pratenſe*	p
Scorzonera	*humilis*	p
Sonchus	*arvenſis*	p
	oleraceus	p
	maritimus	r
Prenanthes	*muralis*	r
Leontodon	*Taraxacum*	f
	hiſpidum	p
Hieracium	*Auricula*	p
	præmorſum	f
	umbellatum	f
Hypochœris	*maculata*	p

La-

Lapſana	*communis*	p
Arctium	*Lappa*	r
Serratula	*tinctoria*	r
	arvenſis	
Carduus	*lanceolatus*	
Bidens	*cernua b)*	r
Tanacetum	*vulgare*	p
Artemiſia	*Abſinthium*	f
	vulgaris	p
Gnaphalium	*dioicum*	f
	ſylvaticum	p
	uliginoſum	p
Erigeron	*acre*	p
Tuſſilago	*Farfara*	p
Senecio	*vulgaris*	p
Aſter	*Tripolium i)*	r
Solidago	*Virgaurea*	p
Chryſanthemum	*Leucanthemum*	f
Matricaria	*Chamomilla*	p
Anthemis	*Cotula*	p
Achillea	*Milleſolium*	f
Centaurea	*Cyanus*	f
	Scabioſa	f
	Jacea	p
Filago	*montana*	p
Jaſione	*montana k)*	p

 Vi-

b) Vix ſpecie diverſa a *Coreopſi Bidente*, plurium auctorum teſtimoniis aſſeritur; attamen quæ apud nos occurrit, radio Corolla omnino deſtituitur.

i) In littoribus noſtris maritimis occurrunt inprimis: *Plantago maritima*, *Glaux maritima*, *Gentiana Centaurium*, *Triglochin maritimum*, *Arenaria rubra* major, *Aſter Tripolium*, *Statice Armeria*, *Sonchus maritimus*, & interdum *Angelica Archangelica*.

k) Jaſione *montana* & Oſmunda *Struthiopteris* heic frequentes, *Upſaliæ* minime occurrunt.

Viola	*hirta*	r
	paluſtris	p
	canina	p
	mirabilis	r
	tricolor	f
Impatiens	*noli tangere*	r

GYNANDRIA.

Orchis	*bifolia*	p
	maculata	f
	ſambucina	r
Ophrys	*ovata*	r
Calla	*paluſtris*	r

MONOECIA.

Lemna	*polyrrhiza*	f
Sparganium	*erectum*	r
	natans	p
Carex	*leporina*	p
	vulpina	f
	capillaris	p
	cæſpitoſa	p
	acuta	f
	veſicaria	f
Betula	*alba*	f
	Alnus	f
Urtica	*urens*	p
	dioica	f
Myriophyllum	*verticillatum*	r
Quercus	*Robur*	p
Corylus	*Avellana*	p
Pinus	*ſylveſtris*	f
	Abies	f

DIOECIA.

Salix	*fragilis*	f
	caprea	p
	cinerea	p
Empetrum	*nigrum*	r
Myrica	*Gale*	r
Populus	*alba*	r
	tremula	f
Juniperus	*communis* l)	f

POLYGAMIA.

Holcus	*odoratus*	r
Acer	*Platanoides*	p
Fraxinus	*excelſior*	p

CRYPTOGAMIA.

Equiſetum	*ſylvaticum*	p
	arvenſe	f
	fluviatile	p
	hyemale	p
Oſmunda	*Lunaria* m)	p
	Struthiopteris n)	p
Acroſtichum	*ſeptentrionale*	r
Pteris	*aquilina*	f
Polypodium	*vulgare*	p
	Phegopteris	p
	Dryopteris	r
Lycopodium	*clavatum*	p
	Selago	f
	complanatum	p

Spha-

l) Varietas ε: *meta in faſtigium convoluta*, in Inſula *Muſkö* ad officinam laterariam.

m) Varietas *Beckæana* in *Hæſthagen* ſemel lecta.

n) Pro ſtragulis in lectis pauperum reliquis *Filicibus* præfertur.

Sphagnum	*paluſtre*	f
Polytrichum	*commune*	p
Hypnum	*triquetrum*	f
	proliferum	p
	abietinum	f
	dendroides	p
Marchantia	*polymorpha*	p
Lichen	*centrifugus*	p
	ſaxatilis	f
	phyſodes	p
	ciliaris	p
	fraxineus	f
	chalybeiformis	f
	hirtus	f
Fucus	*nodoſus*	p
Phallus	*eſculentus*	r
Lycoperdon	*Boviſta*	p
Mucor	*Mucedo*	f
	Eryſiphe	p



CLVIII.



CLVIII.

FUNDAMENTA TESTACEOLOGIÆ

PRÆSIDE

D. D. CAR. V. LINNÉ

proposita

ab Auctore

ADOLPHO MURRAY

Stockholmiensi

Prosect. vic. ad Theat. Anat. Holm.

Upsaliæ 1771. *Junii* 29.

---

§. I.

TESTACEORVM doctrina jucunditate plurimis præripit palmam. Admirabilis enim partium conformatio & elegantissima colorum dispositio antiquissimis jam temporibus, tantam curiosorum excitarunt attentionem, ut admiranda hæc naturæ miracula, summa perscrutari vi, eaque, studio sane non vituperando, ad remotissima Oceani littora, magno sæpe vitæ periculo collecta, inter gazas pretiosissimas locare voluerint. Scipio atque Lælius, alter ducendis agminibus

bus & conferendis præliis, alter dicendis in senatu Romano sententiis clarus, ad oras tamen maris sæpissime testis legendis quærebant voluptatem. Ad nostra ut veniam tempora, sexus etiam elegantior, indefesso studio, acervos testarum conquirit, inque illis contemplandis oblectamentum capit eximium. Atque, ut curiosas in Anglia, Belgio, Gallia atque aliis exterorum terris testaceorum collectrices taceam, REGINA nostra, LUDOVICA ULRICA augustissima, jam VIDUA mœstissima, non tantum collectione ex singulis naturæ regnis, atque adeo testarum quoque, sane copiosissima, verum ipsa etiam eximia harum rerum peritia admirationem omnibus injicit maximam.

Cum vero in ipsa tantum rerum naturalium superficie hærere sapientem non deceat, penetralia hujus scientiæ amœnissimæ perscrutemur, ad conformationem testaceorum ipsam internam, ad colorum dispositionem, ad partium ornamenta, ad animalculorum structuram, generationem, incrementa & alias proprietates, attentos convertentes oculos. Sed bone Deus! quanta prodigiorum cohors heic nobis sese offert.

Testæ! domunculas & tegmina quasi præbent vermibus quibusdam mollissimis, qui ossibus carent, & cuticula tantum tenerrima sunt obtecti. Plurimæ autem sunt in conformatione hujus domicilii varietates, plurimæ colorum differentiæ. Nonnullæ testarum orbibus circumvolvuntur; aliæ in se sunt quasi cochleatæ; aliæ gibbosæ; aliæ expansæ, apertæ; aliæ planæ, squamosæ, corticosæ; aliæ spinis, mucronibus, pinnulis, laminis vel cristis, frondibus, muricibus horridæ, aliæ læves, pellucidæ, nitidæ; aliæ turbinatæ, spirales; aliæ velut operæ

re muſivo teſſellatæ, omnes autem, licet inter ſe differant, artificio tamen, venuſtate atque elegantia ita certant, ut quænam ceteris pulcrior, dicere vix audeamus. Etenim, quæ veluti negligentia quadam formatæ videntur, in rudi tamen maſſa ſapientiam Creatoris ſummam oſtendunt quam luculentiſſime.

Colores quoque, inter ſe mirum in modum differentes, maximam nobis in teſtis determinandis adferunt difficultatem. Innumeræ ſunt albæ, argenteæ, pullæ, ſubnigræ, helvolæ, aureæ, plurimæ diſcoloribus variegatæ faſciis, pauciſſimæ cæruleæ, & ſic deinceps.

Artem, qua domos ſuas hæc animalcula exſtruant, noviſſe non minoris eſt pretii. Neque enim illam, ut recte admonet illuſt. *Reaumur*, perſpicaciſſimum Philoſophi ingenium, clare & diſtincte ſatis, detegere valet. Non deſunt auctores, qui in hac re deſudarint; demonſtrationes autem, quas in medium protulerunt, plurimæ, præter ingenii exuberantis indicia, nihil fere continent. Hoc ſcimus, teſtas omnes ex ovis, piſcium ſperma referentibus, & vel extra matris, vel in matris ſinu excubitis, non autem ex putredine, uti Ariſtoteles & multi alii voluere, naſci; & ex tota demum animalculi ſuperficie pullulare mucum, qui exſiccatus veram format calcem. Lentorem hunc magna adeſſe copia nemo negabit, qui noverit *Helicem Pomatiam* ſæpius per diem, membrana, qua claudit aperturam ſuam, abraſa, confeſtim efficere novam. Undique etiam totum animal lentore illo eſt obfuſum, & ipſa viſcera ſat magnam hujus copiam ſecernere videmus. Conſtat autem inter omnes, humores tenaces in fila poſſe extrahi. Credunt igitur multi cum illuſt. *Reaumur*, quod ex

ex animalculi poris talia fila calcaria etjam educantur, quæ, quo majori copia adſunt, & diligentius priſtinis apponuntur, eo craſſiorem reddunt teſtam. Externa teſtæ textura ſæpe mollior eſt interna, quæ, animale fortiore iam robuſtioreque facto, fabricatur. Nonnullæ certe oris adminiculo mucum tantum corpori illinunt. Celeb. *Heriſſant* *) nuper aliam maxime ingenioſam hujus rei theoriam conſtruxit, quæ naturæ maxime conveniens, experientia quoque approbatur. Magnam ſatis ſimilitudinem invenit inter animalium oſſa & domunculas has calcarias, quum & oſſa & teſtæ ſint cellulis, calce refertis, compoſitæ. Teſtas cellulis componi demonſtrat ex eo, quod in ſubſtantia illarum ipſa ſæpenumero inveniantur bullæ aëreæ, quodque ſpiritu nitri ſoluta calce & aqua diluta, cellularis tantum ſubſtantia cum acidis non effervefcens reſtet. Concamerationes illas, quas ex gummoſis conſtare fibris pellucidis putat, fere globoſas depinxit, hincque non mirum, quod hæ teſtarum ſuperficie quaſi plicatæ & priſmaticæ factæ, radios ſolis dividant & multas illarum facies ſplendentes variegatasque reddant. Quo craſſior teſta, eo robuſtiores & tenaciores eſſe cellulas contendit.

Omnia teſtarum ornamenta ex beſtiolæ pororum ſtructura oriri videntur. Hi enim quo confertiores ſunt, eo etiam æquabiliorem evadere ſuperficiem videmus, & quo diſtinctiores ac rectius ordinati, eo magis criſtatam & elegantem; ita ut poros majores in quincuncem diſpoſitos, vel quadrata formantes, teſtam reddere reticulatam, hinc illinc autem congregatos, ſpinoſam & turberculatam facile crederem.

De

*) Mémoires de l'Academie des ſciences à Paris A:o 1766. p. 508.

De incremento teſtarum varie diſputatum eſt. *Cypræœ* unoquoque anno vetuſtas demittunt domos, novas ampliores formaturæ; aliæ autem ultimos anfractus per novos articulos dilatantes, antiquam eo reddunt ſpatioſiorem. Conchæ plurimæ margines tantum novarum lamellarum appoſitione adaugent.

Structuram animalculorum contemplantes iterum in gyrum volvimur, nec certi quidquam in his audacter affirmamus. Incredibilem tamen induſtriam naturæ ſcrutatorum quorundam, in examine vermium horum, eo perveniſſe nobis gratulamur, quod ſciamus, quibus partibus careant; quas autem, exceptis nonnullis pauciſſimis majoribus viſceribus, poſſideant, & quo ordine ſint collocatæ, nemo mortalium adhuc indagare potuit. Non quidem me fugit, ſolidiſſimum *Liſterum*, aliosque infra nominandos celeberrimos viros, multa præclara, hac in re, ſcripſiſſe; ſed ipſi fatentur ſe pauciſſima eſſe adſecutos. Animalia etiam ſunt tam mollia tamque tenera, ut licet partes oculos noſtros non fugiant, cultrum tamen ferre non poſſint.

Ariſtoteles, dividendo omnia viventia in perfecta & imperfecta, inter imperfecta referebat teſtarum animalia, & quidem merito. Carent nimirum capite, naſo, auribus, pedibus, oculis; & quamquam ſunt, qui puncta illa nigra, tentaculis nonnullorum inſidentia, oculos eſſe ſtatuant: experientia tamen docet, neque cavum quoddam, oculi humores involvens, inveniri, neque teſtas illorum ope, repræſentationes rerum ſibi formare poſſe. Certiſſimum quidem eſt, tentacula organa eſſe, ſed quum partes animalium, ſi de illis ideam nobis claram formare volumus, ſemper ſint com-

parandæ cum noſtris, nosque ea methodo certiores de tentaculorum uſu fieri non poſſimus; ſequitur, ut heic melius ſit ignorantiam ſuam confiteri, quam vacillantibus novisque ſententiis ingenioli ſui fœtum oſtentare. Tentacula non eundem, ac inſectorum antennas, præſtare uſum, non minus ex earum ſtructura maxime diſcrepante, quam ex ſitu, quem tenent, apparet. Aſteriæ totum corpus eſt tentaculis exaratum. Os infra tentacula eſt collocatum, quo oris ſitu ſine dubio celeb. *Spalanzani* eſt commotus, ut credat, cochleas eo loco etiam habere caput; ſed quam lubrico ea concluſio ſtet talo, ut cætera exempla, quæ exiſtunt plurima, reticeam, Cancri formatio ſatis indicat, cujus os ſub pectore eſt locatum. Corde, pulmonibus, ventriculo inteſtinisque cochleas gaudere *Liſterus* ſupra laudatus, in ſuis obſervationibus anatomicis, confirmavit luculenter. Androgynæ ſunt, exceptis nonnullis, obſervante Liſtero, partesque illæ ſacræ, prope tentacula, latera animalis occupant.

Earum œconomia res eſt altioris indaginis, ſed adhuc imperfecte cognita. Novimus tamen continentem aliis, aquam vel marinam, vel fluviatilem aliis eſſe habitaculo, quod raro etiam immutari poſſit ſine damno vel interitu. Complures e vegetabilibus eſcam capiunt. Quædam montes radunt calcarios, ut *Pholades* & *Helix lapicida*. Nonnullæ, ut *Helix arbuſtorum*, lichenibus veſcuntur; aliæ aliis. Verno tempore plures, maxime cum deſiderio, nuptias celebrantes, quatuordecim ſæpe dies cohærent.

Mirabilia ſane hæc ſunt optimi Creatoris opera, quæ non poſſunt non rimanti eximiam adferre delectationem.

§.

§. II.

Neceſſario in ſcientia qualibet commendanda, quem uſum eadem præſtet, diſquiritur. Impudentes autem fronteque ſane dura ſunt, qui uſum Teſtaceologiæ omnem negare ſuſtineant. Eo enim inſolentiæ proceſſerunt nonnulli, ut ſtatuere non erubuerint, teſtarum doctrinam inter res ineptas & inania puerorum crepundia eſſe referendam, nec ſapienti homine dignam. Eraſmus certe in proverbiis ſuis hominem, qui nugis gerrisque tempus perdit, deſcripturus, illud velut exemplum laborum irritorum adfert, quod is *Conchis ludat* ſ. *Conchas legat.* Et cuivis ſane maximam injicient indignationem veterum, imo etiam recentiorum quorundam, ad hanc ſcientiam præfationes, cum tot tantisque ambagibus ſe has ſuas lucubrationes, aut a curis ſublimioribus ut ſeſe aliquo modo ſublevarent, aut ineluctabili amicorum impulſu, aut auctoritate ſuperiorum coactos, conſcripſiſſe, publicæque luci exponere affirmant; quæ ſane præjudicia in nonnullorum cordibus etiamnum eheu! altas videntur egiſſe radices. Interea tamen breviter oſtendam, non exiguam teſtas generi humano præbere utilitatem.

Ut enim uſum teſtaceorum exoptatiſſimum præteream Theologicum, quod ſummæ Creatoris perfectiones tot ſtupendis ſe prodant artificiis: nec eximiam adferam ex tanta varietate operum admirandorum delectationem, qua teſtæ omnibus, qui non tam anxio ventriculum cibo potuque implendi ſtudio, quam jucundiſſima potius rerum creatarum contemplatione ducuntur, præ cæteris ſe commendant: aliis quoque & quidem magnis emolumentis felicitatem noſtram adaugent. *Calx* omnino petit ſcaturiginem ex animali regno, &

 proxime

proxime ex teſtis. *Margaritæ* omnes, pretioſiſſima illa Principum ſexusque elegantioris ornamenta, teſtis debentur. Antiquorum *Purpura* & punicea, & violacea, horum eſt animalium progenies. *Lapis Pavonius* ex Oſtreæ margaritiferæ cardine cartilagineo capitur. *Medicamenta* varia abſorbentia ex teſtis conficiuntur. Nonnullæ magnæ conchæ purificatæ, eoque pellucidæ factæ, uſum feneſtrarum præbere poſſunt *). Indiæ incolæ varii loco laterum tecta iis obtegunt domorum **). Abſciſſa ſuperiore cochlearum parte, vaſa, thecæ lampadesque ex iis conſtruuntur. Barbari Braſilienſes acutis nonnullis teſtis barbam radunt, ut funditus eradicetur ***). Ægyptii lintea xylina ſua Cypræis lævigant, eademque methodo alii etiam utuntur ad chartam poliendam ****). Ex *Pinnæ* barba in Tarento fabricantur varia veſtimenta atque chirothecas, quæ etiam eadem ferme gaudent mollitie atque illa, quæ ex bombyce ſunt confecta. Antiquis temporibus mulieres teſtis ſeſe adornabant, nec minus Indiæ occidentalis virgines etiamnum ſunt ſollicitæ, ut tali phalera juvenes ad conjugium, Venerisque cultum alliciant. In Martha Inſula monachæ varios variosque figmentatos flores, aliaque ornamenta, quæ ad nos quotannis advehuntur, ſummo formant artificio. *Cypræa moneta* in inſulis Maldivis *pecuniæ* habet valorem. Sed hæc hactenus. Id tantum addam, multa teſtacea inter delicias præcipuas numerari, & aliquot Indiæ nationes inde omnem ferme

*) *Leſſer* Teſtaceoth. T. 2. L. I. Cap. 2. §. 290.

**) *Petrus Martyr* de reb. ocean. L. 4. Dec. 3.

***) *Bonanni* Muſ. Kircheri f. 431.

****) Ibidem.

ferme capere victum. Scias autem inter hæc nonnulla etiam veneno graviore esse inquinata *). Sunt nimirum quædam, quæ instrumento quodam pungente lædunt, ut *Mitra*; aliæ quorum totum corpus veneno scatet efficacissimo. Ostrea edulis æstate & fine veris, quo tempore spargit semina, funesta narratur **). Mytilos nonnunquam nobis exitio esse, res est notissima. Et quamquam non diffitendum, omnia ex hac petita classe nutrimenta magis gulæ nostræ deliciosæ, quam ventriculo prodesse; immo propter succum, quo sunt referta, maxime ad putredinem proclivem, esse fugienda, talia tamen exempla in illis eligendis nos eo cautiores reddere debent, atque impellere, ut summa sollicitudine salubria a venenatis distinguere discamus. Eo etiam modo certitudine quadam illa arripere, & in succum sanguinemque vertere nostrum addiscimus, deficientibus aliis esculentis. Id autem sine adcurata eorum cognitione fieri nequit; & cum multa adhuc restent, antequam ad tantum fastigium Testaceologia nostra deveniat, conjunctis facultatibus omnem, ut dicunt, rudentem moveamus, hanc rerum felicem denique messem obtenturi.

Ex dictis igitur Testaceologiam non minus utilem esse, quam jucundam, constabit.

§. III.

Mirandus ille mechanismus, quo singulæ testarum species singulari modo sunt instructæ, antiquos

*) *Rud. Aug. Behrens* Diss. Epist. ad Paul. G. Werlhoff. Hannov. 1735. *Paul. Henr. Mæhring* de Mytilorum quorundam veneno. 1742. 4to.

**) *Lesser* T. 2. L. I. Cap. I. §. 275.

tiquos etiam ſapientes, ad illas contemplandas impuliſſe lubenter crederem. Ariſtoteles quidem, Ælianus ac Plinius, multique alii, Græci & Latini, de natura earum atque indole fuſe copioſeque ſunt locuti: ſed res titulo promiſſas leviſſime tantum plerique tetigerunt; ſimiles ſane earum, ut cum Bonanno loquar, avium, quæ ſuſpenſæ in aëre, alarum vaſtitate ac plumarum multitudine magnam ſui ſpeciem faciunt, captæ vero & deplumatæ, venatoris exſpectationem, molis ac corporis exilitate, deludunt. Et cum iis temporibus communi, ſed culpanda, conſuetudine eſſet receptum, ut ſcientiæ quælibet fictionibus & nugis obfuſcarentur; nec noſtra de feliciori fato ſibi gratulari poterat. Sic teſtaceorum domunculas, lupos, boves, lepores, urſos, & neſcio quas beſtiolas inhabitare nonnunquam narrant, neque ridicula hæcce figmenta, ludicro ſane ſpectaculo, iconibus illuſtrare piguit. Ante ſeculum igitur N. C. XVI:tum nihil fere præclari in hac noſtra doctrina eſt editum. Lento autem gradu feliciores progreſſus fecit illa XVII ſeculo, & hoc, quo vivimus, qua ipſas domos, faſtigium ferme attigit ſummum. Maxima illorum ſane eſt cohors, qui teſtis deſcribendis & illuſtrandis dederunt operam, ex quibus præcipuos nominaſſe ſufficiat. Sunt vero illi *Ulyſſes Aldrovandus*, *Fabius Columna*, *Joh. Jonſton*, *Ol. Wormius*, Chriſt. Merret, Joh. Harderus, Gualterus Charleton, Steno, MART. LISTER, Ferd. Imperati, Nehem. Grew, PHIL. BONANNUS, Tournefort, Robert Sibbaldus, Oliger Jacobæus, *Joh. Dan. Major*, GEORG. EBERH. RUMPH, Jac. Barrelier, Frid. Ruyſch, JAC. PETIVER, Mich. Bernh. Valentin, Rich. Bradley, Browne, *Carol. Nic. Langius*, Kundmann, *Hebenſtreit*, Franciſc. Valentini, Jac. Theod. Klein, J. Ph. Breynius, JANUS PLANCUS

CUS, SEBA, SLOANE, NICOL. GUALTIERI, *Frid. Christ. Lesser*, D'ARGENVILLE, Ledermuller, REGENFUSS, *Guinannus*, *Adanson*, *C. A. v. Bergen*, *F. C. Meuschen*, MARTINI, & immortalibus in hanc quoque scientiam refulgens meritis illust. Eques a LINNE'.

Nonnulli horum sunt *monographi*, qui unam vel alteram descripserunt testam, alii *polygraphi*, illustrantes plures. Alii figuris suis eminent, alii descriptionibus. Nec desunt, qui testas tantum tractarint calcarias, alii qui una rationem habuerint animalculorum intra testæ parietes collocatorum. Inter hos autem illustris *Lister* incredibili industria omnium, quantum licuit, vermiculorum angulos perquirens, principatum tenet, cui autem *Harderus* & *Ruysch*, *Hockius*, *Heide*, *Willisius*, *Lœwenbœk*, *Adanson* & celeb. *Martini*, non sine laude sunt adjungendi. Aliqui sine ordine omnia tetigerunt; alii methodo quadam singulari sunt usi.

Omnes autem *methodi*, quarum sat magna est abundantia, maxime inter se sunt discrepantes, propterea quod unaquæque fere diversis fundata sit principiis. Paucissimæ naturam sequuntur ducem, plurimæ illam remis velisque quasi oppugnant. Sic *Lister* in conficienda methodo attentionem vertit ad locum natalem, quo testæ reperiuntur, dividitque omnes in Terrestres & Fluviatiles. Hanc autem illarum distributionem plene planeque cornua quasi naturæ obvertere, is demum perspicit, qui cognitum habet testas nonnullas sibi maxime, ut ovum ferme ovo, esse similes, nec ullo modo a natura esse disjunctas, sed tamen diversis in elementis sustentari, ut e. c. *Bulla hypnorum* & *fluviatilis*; hæc in fluviis migrat, illa inter muscos invenienda.

 Tour-

Tournefortii methodus, (quæ in Gualtieri præfatione pag. 18. deſcribitur,) propior quidem eſt naturæ, cum disjungat teſtacea in Monotoma, quorum teſta indiviſa eſt, Ditoma, quæ geminis conſtant teſtis, Polytoma, quæ ex pluribus ſimul annexis compinguntur. Rem autem accuratius aggrediens, dividensque illas, ut dicit, in familias; quarum ex prima claſſe conformat tres, Univalvia ſc. ſpiralia & fiſtuloſa, diſtorquet genera & inextricabili labyrintho ſe involvit; id quod facilius patet ex ſubdiviſione ſecundæ claſſis, quam in clauſas atque hiantes diſpeſcit, & ex tertia, cui Echinos adjungit. Echini & conformatione ipſius animalis, & ſtructura domicilii ita plane a teſtaceis diſcrepant, ut ratione non ſatis uti videatur, qui illos his connectere fuerit adnixus. Eadem ratione ſuffultus Sepias & Aſterias quoque ordini huic naturali adjungerem, ſed perquam inſipide.

Breynius quoque contra naturam peccat in methodica ſua diſtributione teſtarum, diſpertiens illas in vaſculoſas & tubuloſas, ſimplices & compoſitas: quæ omnes claſſificationes de novo limæ ſubmittuntur, & denique genera ſine ullo ordine contexta ſubminiſtrant.

Ingenioſiſſimus ille *Reaumur* ex colorum diſpoſitione varia methodum novam conſtruere adniti videtur. Talis autem methodus plus curioſitatis habet, quam utilitatis. In maſſam certe confuſam ſic omnia redigerentur.

Langii methodus maxime convenit cum *Gualteriana*, quæ in eo conſiſtit, quod in quinque claſſes omnia diſponat. *Prima* conſtituitur ex Exothalaſſibiis, quæ ſunt vel terreſtres vel fluviatiles; *Altera* ex Teſtis marinis non turbinatis, integris;

Ter-

Tertia ex Cochleis marinis; *Quarta* ex Conchis marinis, *ultima*que ex Polytomis, quibus an Echinos adjungat anxie non quæritur. Omnes hos ordines iterum rimatur & ſubdiviſionum ſubdiviſiones facit, antequam ipſam rem aggreditur. Quis autem non videt, hunc ordinem innumera ſequi incommoda, & fere nos, antequam prima ſcientiæ ſtamina mente rite percepimus, eo ineptos reddi, ad ſcientiam novis rebus amplificandam, & emolumentum ejus perſentiſcendum? Maxime etiam eſt artificioſa, verum non naturalis. Idem fere de omnibus ceteris Methodiſtis ferri poterit judicium.

§. IV.

Maxime naturæ conveniens methodus foret illa, quæ ex animalium peteretur ſtructura, omniaque teſtarum genera tali fundamento ſtabili eſſent ſuperſtruenda. Id enim non tam ratione, quam ipſa experientia adjutrice didicimus, quod *Fabius Columna* in libro ſuo de *Purpura* ſat eleganter conſcripto aſſerit, ex animalis differentia etiam teſtæ differentiam provenire, & taliter ſui animalis teſtam mechaniſmo reſpondere, ut aliter eſſe non poſſit. Id autem meditanti arduæ difficultates & vinci neſciæ, magno ſeſe offerunt numero, ut non multum gaudii ex hoc ſcrutinio percipiat. Ex toto enim animalium acervo, nulla ſane majori cum negligentia ſunt deſcripta, & qua eorum facultates, explorata, quam illa, quæ *Molluſca* audiunt, & legitimi ſunt inhabitatores teſtarum. Myriades etiam teſtaceorum in profundo maris ſunt demerſæ, ut difficile ſub oculos proficiſcentium proprietates illorum cadant. Nonnulla quoque ex aqua marina extracta vel ſtatim morte exſtinguuntur, vel ita vivunt, ut, dum

ex vita tandem decedunt, ſtructura earum plene planeque deperdita inveniatur, ſicque ex his nil certi eluceat. *A poſteriore* igitur, ſeu ſtructura teſtæ, *ad prius*, ſeu animalis ipſius conformationem concludere, cogimur. Scimus, exempli cauſſa, quodnam ſit animal quod *Helicem viviparam* inhabitet, & inde ſana ratione colligimus, omnes ad hujus ſimilitudinem accedentes, animalculis pari ratione conſtructis etiam eſſe præditas, & ſic in cæteris.

§. V.

Illuſtris igitur Præſes, in Syſtemate ſuo Naturæ, præſentiens quam prærupti montes in teſtis deſcribendis, ſi ſimpliciſſimam, hoc eſt maxime naturalem, inire viam conaretur, eſſent calcandi, idem etiamnum in medium allatum ſequi principium, & a communi ſtructura illarum diviſiones petere & genera exſtruere fuit compulſus. Hoc autem ſcias, illuſt. Præſidem omni, quo potuit, modo, ubi teſtaceorum animalia fuerunt cognita atque percepta, in illarum differentia generum ſemper poſuiſſe fundamenta, ut imitatorem naturæ decet feliciſſimum.

Sequenti autem ratione diſpeſcit teſtacea. Sunt vel COCHLEÆ, quarum domicilium eſt ſimplex, vel CONCHÆ, quæ ex pluribus compinguntur valvulis; hæ autem vel *Multivalves*, vel *Bivalves*.

Cochlearum autem character genericus petitur a domicilii *apertura*, *cavo* teſtæ, *canali* & *cauda*. Hæ ſolum partes conſtantem ſervant figuram & proportionem, ſi vel omnes aliæ attentionem deluderent noſtram; atque ideo characteres ſemper manent firmi & fixi.

Generum

Generum characteres plurimorum luculentius videbis explicatos in iconibus huic dissertationi annexis. Systema tamen addam generale, rem in compendio exhibiturum.

COCHLEÆ existunt, quæ habent
- 1. *Spiram regularem.* Hæ qua aperturam sunt
  - effusæ: nempe *Conus*, *Cypræa*, *Voluta*, *Bulla*;
  - canaliculatæ: ut *Murex*, *Buccinum*, *Strombus*.
  - coarctatæ: ut *Argonauta*, *Nautilus*, *Trochus*, *Turbo*, *Helix*, *Nerita*, *Haliotis*.
- 2. *Spiram nullam*, vel maxime *irregularem*: ut *Patella*, *Dentalium*, *Serpula*, *Sabella*, *Teredo*.

In Concharum bivalvium generibus figendis a se ipso excogitatam, simulque maxime naturalem, sequitur methodum. Rationem nimirum habet Cardinum & Dentium, iis affixorum. Ex ipsa vero rerum natura sequitur, ut, quum animal dentibus inprimis cohæreat, dentium varia conformatione & situ illud eodem modo immutari debeat. En divisionem itidem novam:

CONCHÆ bivalves dividuntur in eas,
- 1. *quae habent dentes*, *quibus cardines cohærent.* Illi autem sunt vel
  - *vacui*, h. e. si dens unius valvulæ non foramini quodam alterius testæ, vel rimæ, qua recipi potest, immergitur, sed libere jacet; ut *Mya*, *Solen*, *Tellina*, *Donax*.
  - *intrusi*, si rima vel scrobs unius valvulæ dentes alterius recipit; ut *Cardium*, *Venus*, *Spondylus*, *Mactra*, *Chama*, *Arca*.
- 2. *quæ dentium expertes*, ut *Ostrea*, *Anomia*, *Mytilus*, *Pinna*.

Mul-

Multivalves vel ſunt *Paraſiticæ*, ut *Lepas*, vel *Liberæ*, ut *Pholas* & *Chiton*.

His poſitis fundamentis reſtat, ut iterum iterumque examinetur methodus, talique ruminatione ab omni parte naturæ fiat conveniens. Hanc autem, qui cupit, felicem contingere metam, ſolida ipſorum animalium, ut antea monui, cognitione imbui debet. Genera enim ita ſunt comparata, ut unum cum altero arctiſſimo nexu cohæreat; ubi autem illud deſinit & alterum ingreditur, ita ſpecies fiunt ſibi ſimiles, ut in ambiguo ſæpe hæreamus ad quodnam genus referri juſte debeant. Nullo vero alio modo iſte Gordius ſolvitur nodus, quam perſpectis earum animalibus.

§. VI.

Si non primoribus tantum labris Teſtaceologiam deguſtare, verum ex fundamento callere, & propriis obſervationibus exornare cupimus, nullum ſperare poſſumus ſtudii noſtri felicem eventum, niſi maxima cupiditate, omnia jam prius nota & deſcripta perſpicere adnitimur. Triplex autem via invenitur, qua ad ſcopum hunc deveniamus. Conjunguntur vero hæ arctiſſimo connubio, ut nulla alteri palmam præripere poſſit, nec ulla ſine totius domus ruina ſejungi queat. Addiſcitur nempe de teſtis doctrina *Figuris*, *Collectionibus* teſtarum, aptisque *Deſcriptionibus*.

ICONUM magno ſane numero gaudemus. Pauciſſimas autem bonæ eſſe indolis is demum videt, qui conciliante natura figuras limæ ſubmittit accuratiori. Optimæ ſunt, quas ediderunt *Liſter*, *Bonannus*, *Rumphius*, *Gualtier*, *D'Argenville*, *Regenſuſs* & *Martini*; horumque auxilio tantum

tum capere possumus emolumentum, quantum quærimus.

In COLLECTIONES testarum conficiendas veteres jam multum temporis & pecuniæ insumsisse, Batavosque, qui his mercaturam fecerunt lucrosam, omnes hac opera alias superasse nationes novimus. Sed in patria nostra non minor est talium abundantia. Speciatim summam quatuor, quibus sane superbire possumus, collectanea omnium movent intuentium admirationem. Clementissimæ nempe REGINÆ Viduæ Museum Drottningholmense; Museum Illustris PRÆSIDIS in Prædio suo *Hammarby*, Illustriss. Aulæ Mareschalli De GEER, ac denique Pharmacopolæ experientissimi D. FRID. ZIERVOGEL. REGINÆ collectio Serenissimæ eo præcipue nomine miratu digna, quod omnibus pretiosissimis niteat testaceis. Illustris *Præsidis* autem, quod non minus abundet raris, quam illis, quæ propter rudem eorum massam ab imperitis contemtui habentur. Experient. quidem *Ziervogel* eo magis hic nominandus, quod me semper singulari prorsus amplexus est amicitia, & ad icones depingendas ex ditissimo suo penu rariores conchas subministravit; id quod publice gratissima prædicare mente debui.

Ut Cochleæ naturalem, quo fulgent, nitorem servent, necessario requiritur, ut animalia adhuc viva extrahantur; ad quem optatum pervehi exitum facile possumus, si, ut reticeam alias methodos, corrosivis vel acribus rebus animal irritamus, quo facto primum quidem se in domunculæ suæ latebris abscondit; demum autem semimortuum exire cogitur. Pulvis Tabaci inprimis hoc facile præstat officium. Testæ marinæ semper salsis sunt imbutæ particulis; ablui igitur

salsedo

ſalſedo & aqua inſulſa extrahi debet, antequam reconduntur.

Teſtarum DESCRIPTIONES illuſtris *Præſes* in ſuo Syſtemate nobis ſuppeditat, nec quisquam ante illum neceſſitatem hujus rei rite ponderavit. Termini brevitatem, ſumma quæ in deſcriptionibus eſt elegantia, conciliantes, quos illuſt. *Præſes* adhibuit, adeo quidem ſunt concinni, rebusque ſignificandis accommodati, ut, qui modo linguæ latinæ, atque adeo vocum, unde deriventur, gnarus fuerit, ſenſum ſine difficultate percipiat; maxime ſi ſimul diſſertatio Ejus de Terminis Botanicis perlegatur, & ad contextum operis, atque ad figuras heic adpoſitas fuerit aditus. Nos tamen, ne cui remoram brevitas deſcriptionum objicere videatur, terminis nonnullis teſtaceorum, qui explicatione quadam egere videantur, ſuccinctas addemus definitiones.

§. VII.

Hoc autem opus auſpicaturus, neceſſum duco, ut quid per *Teſtacea* velim, adcurate prius ſignificetur; quum multi exiſtant, qui, more vulgi, de teſtis quidem copioſe garrientes, arcanaque eorum ſciſcitantes, nedum tamen, quid teſtæ ſint, & quibus characteribus ab aliis animalibus cruſta calcaria obtectis diſtinguantur, norint. Per teſtas igitur ſignificamus *domunculas calcarias ope vermium quorundam, a parietibus diſtinctorum, apici tantum affixorum, fabricatas.*

Eo quod apici tantum domicilii adhærent, ſat ſuperque ab *Echinis*, ſingulis annexis areolis, diſcernuntur.

Sa-

Sabellæ quidem ex arena conſarcinantur; cum autem mediante calce hoc fiat, nemini in mentem venire poteſt, ut de definitionis jam allatæ fundamento dubitet.

Quod ad *Conchas* attinet, earum animalcula cardini quidem ſunt affixa, ſed hoc non impedit, quo minus eadem definitio habeat locum, quum plerumque cardines ſint quaſi magis protenſi, & apicibus quibusdam, vel dentiformibus, vel calloſis, gaudeant.

§. VIII.

TERMINI COCHLEARUM.

ANFRACTUS, circumvolutiones gyrorum circum *Columellam*. *)

ancipites, ad latera teſtæ longitudinaliter carinati. 655.

bifidi, linea, ſ. ſulco tranſverſaliter, quaſi ſutura, diſtincti. 481.

canaliculati, ad *ſuturam* ſuperiorem foſſula excavati. Ipſa foſſula dicitur *Canalis*. 290, 469.

cancellati, coſtis longitudinalibus arcuatis verſus *Anfractuum ſuturam* cincti. 630.

carinati, in angulum, totum anfractum circumeuntem depreſſi. 665.

contigui, oppoſitum disjunctis; ubi anfractus concreti.

coronati, verſus apicem ſimplici ſerie eminentiis cincti. 526. 720.

diſ-

*) Numeri reſpondent Syſt. Nat. illuſt. Præſidis edit. duodecimæ.

disjuncti ſ. *diſtantes*, qua latera undique ſejuncti. 279.

frondoſi, Varicibus in frondes dædaleas ſ. criſtatas, germinantibus. *Murices frondoſi.*

imbricati, inferne carinati, carina ſuturam inferiorem obumbrante. 641.

indiviſi ſ. *integri*; oppoſitum *bifido*. 479.

lamellati, excreſcentiis quaſi membranaceis tranſverſalibus cincti. 473.

lineati, lineis exarati.

LINEÆ, aliquando, ut in Conis, picturam tantum ſignificant, aliquando ſtrias elevatas aut excavatas.

longitudinales, a baſi ad apicem ſeſe extendentes.

tranſverſales, anfractuum ductum ſequentes.

ſtriatæ, ſtriis tranſverſim exaſperatæ. 624.

obſoleti, ſutura obliterata. 470.

ſcrobiculati, ſcrobiculis ſ. cicatricibus excavatis adſperſi. Verbis hoc difficilius exprimitur, quam oculis in *Buccino cornuto* percipitur.

ſcripti, characteribus variis litteras ſimulantibus picti.

ſiniſtri. Fere omnes teſtæ dextrorſum, contra ſolis, ut vulgo dicitur, curſum procedunt, exceptis pauciſſimis, quæ cum ſole flectuntur & *contrariæ* ſ. *ſiniſtræ* audiunt.

ſpinoſo-radiati, ſpinis in orbem cincti. 593.

SPINÆ *concatenatæ*, baſi confluentes. 616.

ſetaceæ, ſetæ ſuillæ inſtar attenuatæ. 519.

ſtriati lineis ſubtiliſſimis, aut elevatis aut excavatis cincti.

STRIÆ

STRIÆ punctatæ, puncta elevata secundum strias longitudinaliter digesta.

PUNCTA aut sunt elevata, aut excavata.

concatenata, monilis instar in seriem cohærentia. 583.

pertusa, profunde excavata, quasi stylo intruso facta. 424.

sulcati, lineis latioribus, aut excavatis, aut porcatis s. elevatis exarati.

SULCI moniliformes, elevati, punctis concatenatis repleti. 588.

torulosi, inter *genicula* tumidiores, 276.

VARICES, suturæ anfractuum transversales gibbæ.

continuati, omnes anfractus percurrentes. 528.

decussati, longitudinaliter & transversaliter digesti. 531.

scrobiculati, ad margines cavitatibus exarati. 537.

SUTURÆ anfractuum, ubi anfractus inter se conglutinati.

duplicatæ s. geminatæ, quasi duplici stria elevata, anfractus, connectente, exornati. 483.

marginatæ, elevatæ, carina prominente. 648.

ARTICULI, anfractus nonnullorum *Nautilorum* inter *Genicula*.

GENICULA, coarctatio anfractuum, respondens sepimento interno. His mediantibus anfractus videntur quasi inarticulati, præcipue ubi genicula sunt insculpta s. evidenter coarctata.

COSTÆ, carinæ majores ab apice ad peripheriam ductæ.

fornicatæ, squamis subtus concavis longitudinaliter exasperatæ.

RADII, ſtriæ elevatæ, a centro ad peripheriam ductæ.

MACULÆ TUBERCULATÆ, teſta reticulata, tuberculis ad ſectionem coſtarum eminentibus. 538.

CINGULA vario ſumuntur ſenſu. Nunc enim idem ſignificant ac Zonæ, ut in *Conis*; nunc 527. 564. idem ac *Coſtæ*. In 443, & 446 eundem ac catena nodorum habent ſignificatum; in 630, 631 autem ſumuntur pro *Cancellis*. 635 ſtriæ membranaceæ anfractuum ductum ſequentes hocce termino exprimuntur.

VENTER ſ. CORPUS, ultima circumvolutio teſtæ. Hæc præ ceteris eſt tumida.

DORSUM. Communiter faciem ſuperiorem ventris, aperturæ impoſiti, ſignificat. In *Patellis* autem & *Haliotidibus* per dorſum indicamus ſuperiorem convexam teſtæ faciem.

BASIS, ea ventris pars, quæ aperturæ proxima. Infimam autem aliquando partem labiorum, ut in Conis & Volutis, nomine etiam *baſeos* comprehendimus. Hoc ſenſu, vel eſt *emarginata*; ſinu nempe profundo exſculpta, vel *integra*.

ROSTRUM; Labia longe utrinque educta, attenuata.

SPIRA, Anfractus ſuperiores ſimul ſumti.

carioſa, quaſi a carie ſ. vermibus exeſa & decorticata. 471.

capitata, terminata in capitulum craſſiuſculum. 524.

exquiſita, *ſ. exſerta*, valde attenuata.

plana, anfractus ſuperiores altitudine æquales, ut ſpira videatur quaſi truncata. 293.

retuſa,

retusa, inferiores ſpiræ anfractus in ventrem repreſſi. 380.

retuſo-umbilicata, ſpira ita repreſſa, ut potius cavitas quam eminentia ſpiræ videatur. 404.

APEX, ſummitas ſpiræ.

decollatus ſ. *mutilatus*. Ita ille teſtæ apex appellatur; cujus ſpira horizontaliter decidit, non caſu, ſed natura; id quod ex eo patet, quum anfractus ſuperne ſemper in hac clauſi ſ. conſolidati occurrant. Caſu enim mutilatæ ſemper ſuperior anfractus foramen relinquit. 578.

papillaris, opponitur acuto, vbi apex ſemigloboſus apparet.

VERTEX. Si excipias *Bullam ampullaceam*, ſignificatur vertice ſuprema Patellarum pars eminens.

ſubmarginalis, juxta marginem poſticum collocatus. 766.

COLUMELLA, columna media, circum quam anfractus in gyrum adſcendunt. Hanc haud difficulter, ſi teſta longitudinaliter findatur, perſpicies.

abrupta ſ. *truncata*, baſi quaſi tranſverſim deſciſſa, ut non excurrat in continuatum labium. 469.

caudata, ita elongata, ut extra ventrem promineat.

plana, in labium excurrens planum. 464.

plicata, plicis transverſis notata. *Volutæ* fere omnes.

ſpiralis, caudata, in ſpiram contorta. 600.

truncata, caudata, tranfverfaliter abfciffa. 390. 391.

UMBILICUS. Bafis columellæ fubtus confpicua.

perforatus f. *pervius*, foramine ad fummum usque apicem continuato, excavatus. 581.

Rima umbilicalis, *umbilicus fubobtectus*, *fubconfolidatus* funt artis fynnoyma; ubi labium reflectitur fupra umbilicum excavatum; ut tantum foraminis margo appareat.

Denticulus umbilicalis, Umbilici perforati margo, dente quodam exornatus. 622.

Margo columnaris, Columellæ margo, parietem aperturæ interiorem conftituens.

LABIUM, Margo aperturæ interior. Sumitur etiam in *Patellis* pro membranula teftacea, earum fundo vel cavitatis lateri inferta; inque iis eft, vel *fornicale*, fub apice, vel *laterale*, ex lateribus teftæ enatum.

LABRUM, exterior aperturæ margo. Nonnulli illud Labium exterius vocant.

anticum, labii pars antica, quæ ad fpiram vergit, & *pofticum*, quod ad caudam.

coarctatum, ad bafin teftæ retractum.

digitatum, usque ad radicem labii in lobos divergentes attenuatos divifum. *Strombi digitati.*

DIGITI, lobi ipfi labri digitati.

folutum, finu ab anfractibus feparatum 427.

fiffum, in medio finu lineari fere diffectum. 549.

integrum, contrarium fiffi.

mucronatum, in unum tantum mucronem definens. 497.

fcro-

ſcrobiculato-canaliculatum, varicoſum, cavitatibus ad varicem labii impreſſis. 532.

CAUDA, Ventris, Labiorum, & Columellæ baſes elongatæ.

abbreviata, anfractu infimo brevior. 526.

clauſa; canali concreta. *Murices caudigeri.*

elongata, infimo anfractu longior. 518.

explanata, marginibus dilatata. 619.

truncata, transverſaliter quaſi abſciſſa. 522.

CANALIS, continuatio aperturæ in caudam, quæ latera, involutam.

APERTURA, orificium totius teſtæ. Continuatio autem aperturæ, quantum in cavum teſtæ per illam inſpicere licet, audit FAUX.

bimarginata, qua labrum, duplici margine. 680.

bilabiata, labio & interiore & exteriori inſtructa. Opponitur illis, quæ labio interiore deſtituuntur. 572.

debiſcens, labro inferius diſtento, ut in Conis nonnullis; ubi alias linearis eſſe ſolet. 323.

coarctata, oppoſitum *effuſæ*, ubi margo cingit aperturam absque lacuna poſtica.

effuſa, ubi poſtice minime coarctata, verum utrumque labium ſinu ſeparatum, ut aqua impleta effluat poſtice. Omnes *Cypræœ*.

reflexa, antice labio verſus anfractum infimum reflexo. 637. 638.

repanda, labiis repandis flexuoſa. 543.

reſupinata, ſurſum verſa. 664.

transverſa, quæ in *Teſta ſpirali*, (vide infra p. 133.) in parallelo plano cum illo ſcindente, eſt locata.

OPERCULUM, lamina, qua nonnulla teſtacea aperturam ſuam claudunt; idque eſt vel unguIæ ſubſtantia, ut *Unguis odoratus*, vel teſtaceum, ut *Umbilicus Veneris* officinarum, vel membranaceum, ut in *Helice Pomatia*.

EPIDERMIS, tunica extima teſtæ in nonnullis ſpeciebus invenienda, quæ ſponte decidit, absque aliquo teſtæ ſuperficiei damno.

Sunt quidam termini, qui totius teſtæ vel alicujus ejus partis proprietates generales & figuras delineant; ex quibus ſequentes explicatione quadam egere videntur:

TESTA *antica*, (pars) quæ ad ſpiram vergit. Heic ſcitu neceſſarium eſt, quod in deſcriptionibus teſtarum dandis, illa pars quæ ſpiram conſtituit, & vivente animale, poſterius locatur, pro antica ſumatur; contra vero alteram, baſin formantem, poſticeam eſſe.

clavata, ſuperne craſſior, verſus baſin elongata. 382.

convoluta, ubi anfractus exteriores ſpiraliter involvunt interiores. *Coni* omnes.

corticata, idem ac teſta epidermide tecta.

cylindrico-umbilicata, cujus umbilicus eſt cavitate cylindrica. 592.

emarginata, cujus margo ſinu eſt excavatus.

exumbilicata ſ. *imperforata*, absque umbilico concavo.

fuſiformis, conſtituens medium inter conicam & ovatam, ſ. turrita parum ventricoſa. 425. 427.

imbricata; rugis margini parallelis, ſibique invicem incumbentibus inæqualis, 762.

inter-

interrupta, novis accretionibus continuata. 785.

involuta, ubi labrum exterius margine introrſum flectitur. *Cypræœ* omnes.

lineis criſpata, lineis flexuoſis exaſperata. 380.

marginata, latera teſtæ incraſſata. Nonnullæ Cyprææ.

obovata, ovata, ſed non apice verum baſi elongata, anguſtiore. 502.

perfoliata, ſutura horizontali, margine deflexo cincta, ac ſi unica teſta eſſet alteri impoſita. 747.

polythalamia, interius interrupta diaphragmatibus variis. *Nautili.*

SIPHO, canalis cylindricus diaphragmata perforans.

centralis, centrum diaphragmatum penetrans. 273.

lateralis, margines diaphragmatum legens. 288.

obliquus, axin anfractuum ſecans. 284.

radicata, baſi affixa alieno corpori. 814.

roſtrata, extremitatibus elongatis. 371.

ſpiralis, ita contorta, ut, plano imaginario per medium anfractus extimi ducto, omnes eo ſcindantur in æquales partes. Nautili nonnulli. 793.

turrita, anfractibus ſenſim ſenſimque in formam coni attenuatis; unde ſepoſita ſemper decumbit. Longitudo multum ſuperat latitudinem. Omnes *Turritæ.*

turbinata, ventre maxime tumido, ſpira minore ex ſinu ventris quaſi educta. 430.

umbilicata, umbilico prædita. Sed in Cypræis vocantur hæ umbilicatæ, quarum ſpira retuſa invenitur in cavitatem.

§. IX.

TERMINI CONCHARUM.

Adumbratio generalis præcipuarum Conchæ partium. vid. fig. 16. & 17. Tab. III.

Cardo ponatur eſſe loco baſeos Teſtæ, atque adeo *latus* ſ. *Margo inferior*, unde margo ei oppoſitus dicitur *Margo* ſ. *latus ſuperius*. Protuberantiæ inſigniores extra cardinem vocantur *Nates*. Juxta cardinem ab altera parte conjunguntur valvulæ membrana, (in Muſcis ſæpius deſtructa,) quæ *Hymen* audit. Margines circum hymen, Vulvæ *Labia* conſtituunt. Area circum Vulvæ Labia *Vulva*; aſperitates juxta vulvam, ſæpe ad nates usque extenſæ, *Pubes* dicuntur. Suprema regio Pubis, *Mons Veneris* audit. Cartilago, cui hymen affigitur, *Nympharum* nomen adquirit, &, ut Metaphora continuetur, hiatus ille inter nymphas, *Rima* appellatur. Vulvæ latus dicitur *Margo anterior*. Juxta Nates ab altera parte ſæpius impreſſio conſpicitur, quæ *Anus* nominatur. Latus ano proximum, eſt *Margo poſterior* ſ. *latus poſterius*. *Regio*, *Facies* & *Latus* idem ſignificant.

Jam ſpecialius *Concharum* partes terminis illuſtrandæ. Primum tamen generalis valvularum, vel nvicem conjunctarum vel ſeparatarum, proprietates oſtendendæ.

TESTA *antiquata* longitudinaliter ſulcata, transverſis vero appoſitionibus, teſtaceis quaſi interrupta, ita ut videatur, ac ſi minores teſtæ annotinæ ad nates illi eſſent appoſitæ. 90. 91.

aurita

aurita, cardo ad latera *Natium* in angulum prominentem compressum eductus. *Ostreæ pectinatæ.*

barbata, pilis rigidioribus qua superficiem tecta. 170.

compressa, valvula una ad alteram applanata, umbonibus minus gibbis.

dorsata, dum dorsum obtuse carinatum, ut in *Chitone aculeato.*

edentula, margine integerrimo. Oppositum *dentatæ.*

hians, valvulæ conjunctæ aliquo in loco inter se hiantes, ut margines se non undique attingant. *Pholades & Solenes.*

inflexa, antico latere quasi refracta & de novo ad anteriora flexa. *Tellinæ.*

linguiformis, linearis extremitatibus obtusissimis rotundatis. 31.

navicularis, cymbæ figuram tenens. 169.

pectinata, longitudinaliter sulcata, s. striata, antice vero striis s. sulcis ad angulum acutum excurrentibus. 92.

radiata, radiis a *cardine* versus ambitum longitudinaliter divergentibus. 54.

rostrata, extremitate anteriore elongata & angustata. 55.

fastigiata, superne quasi transverse desinens. 268.

saccata, versus inferiora gibba. 268.

truncata, parte quadam circumferentiæ testæ obtusissima, & quasi abscissa. 11.

Longitudo testæ, a natibus ad marginem superiorem.

Latitudo, a margine posteriore ad anteriorem.

VALVULÆ, teſtæ quælibet, ex quibus compingitur concha.

æquilateræ, ubi latus anterius & poſterius inter ſe magnitudine & figura æquales. *Inæquilateræ*, ex oppoſito per ſe patent.

æquivalves, ubi utraque valvula ſibi perfecte ſimilis. *Inæquivalves*, oppoſitum, ut in *Pectinibus*.

dextra & *ſiniſtra*. Si teſta imponatur natibus, ut vulva anteriora, anus poſteriora ſpectet, & Valvulæ hoc in ſitu explicatæ atque disjunctæ collocentur, per ſe patebit, quæ ſit dextra & quæ ſiniſtra. Fig. 18. Tab. 2. exemplum præbet ſiniſtræ.

lacunoſæ longitudinali depreſſione exornatæ. 233.

prominentes, ubi una præ altera in aliquo loco producta.

ſuccenturiatæ, teſtulæ illæ minores irregulares, quæ *Pholadum* cardini ſunt annexæ.

MARGO, ora teſtæ.

canaliculatus, ad ani regionem foſſula quaſi longitudinali circumactus. 117.

cardinalis, pone cardinem.

unguiculatus, ſquamis fornicatis notatus. 155.

AMBITUS, circumferentia ipſa valvularum.

LIMBUS, circumferentia valvularum intra marginem.

BASIS, Regio teſtæ cardini proxima.

transverſa, margo poſterior linea recta terminatus. 246.

DISCUS, media pars valvularum, ſeu illa, quæ inter *Umbones* atque *Limbum* jacet.

UMBO,

UMBO, tumidior pars Natibus teſtæ proxima.

fornicatus, intra Nates admodum intus excavatus. 250.

Diſſepimentum fornicis, ubi margo inferior verſus interiora extenditur.

Fornix Umbonis idem ſignificat, ac cavitas ejus.

NATES, (vid. ſup. adumbr. gen.) In plerisque baſin quaſi totius regionis teſtæ poſterioris conſtituunt.

auriformes, fornice intra Nates incurvato. 165.

corniformes, longe productæ, rectæ, mucronatæ. 166.

inflexæ, ſ. *incurvatæ*, ad ſe invicem flexæ. 74.

reflexæ ſ. *recurvatæ* ſ. *retrorſum incurvatæ*, verſus anum convolutæ. 154.

ſpirales, in ſpiram quaſi tortæ. 164.

AURICULÆ (vide ſupra pag. 135. Teſt. aurit.)

æquales, in utraque valvula magnitudine pares: Nonnullæ Oſtreæ.

diſſectæ ſ. *exciſæ*, ab ambitu teſtæ ſinu ſeparatæ.

In *Oſtreis* gibboſior & *dextra* valvula, propter ſimilitudinem, quam habet, cum fornice, appellatur *Fornix:* altera autem ſiniſtra, quæ etiam magis plana, dicitur ſæpe *Operculum*. Verum per *Operculum* etiam aliquando intellectas volumus teſtulas illas minimas, quibus *Lepadum* antra obteguntur.

ANUS, (vide adumbrat. general.).

marginatus, margine elevato circumcinctus.

patulus, ſ. *hians*, marginibus ani hiantibus 155.

ſer-

ſerratus, qua rimam ſ. ſuturam analem. 155.

VULVA (conf. adumbr. gener.)

diſtincta, a teſtæ lateribus ſulco vel carina ſeparata. 172.

inflexa, labiis incurvis. 118.

litterata, characteribus quaſi litterarum picta. 115.

LABIA (adumb. general.)

incumbentia, labium alterum alteri ſuperne impoſitum. 115.

HYMEN rimam ſemper claudit, atque inter labia ac nymphas teſtæ eſt affixum.

NYMPHÆ ab Hymene occultantur. (adumb. gen.)

biantes, inter ſe diſtantes. 127.

retractæ ſ. *intractæ*, oppoſitæ prominentibus. 115.

truncatæ, rima breviores. 48.

PUBES (vide adumb. gen.)

ramoſa, ſtriis ramoſis condecorata. 144.

RIMA ſ. SUTURA, interſtitium illud, quod, hymene detracto, valvulas ſejungit, (de quo antea.)

clauſa, nymphis incraſſatis totam contegentibus rimam.

CARDO, ea pars ambitus, ubi cohærent valvulæ. Craſſiſſimam ille teſtæ partem conſtituit, & intus extenſus eminentiis variis in diverſis eſt obſitus.

depreſſus, dente plano, cardinem verſus anteriora extendente. 31.

excifus, extus rima transverſali hians. 219.

lon-

longitudinalis, ſecundum totam fere longitudinem teſtæ excurrens, ut in *Arca*.

lateralis, verſus alterum latus extenſus. 257.

reflexus, margine exteriore reflexo. *Pholades*.

terminalis, ad extremitatem teſtæ collocatus. 31.

truncatus, baſis teſtæ transverſaliter abſciſſa, cardine intra illam collocato. 229.

Coſta cardinis, linea elevata coſtæ inſtar, a cardine verſus ſuperiorem marginem interne excurrens. 40.

DENS eminentia acuta ad conjungendas & firmandas invicem valvulas continendumque ipſum animal, cardini intus affixa.

anticus, rimæ proximus.

analis, ano proximus.

complicatus, membranaceus, ad angulum flexus acutum: *Mactræ*.

duplicatus, profunde fiſſus, quaſi bifidus.

depreſſus intus ad fornicem flexus.

erectus, valvula umboni impoſita, perpendiculariter adſcendens.

longitudinalis, ſecundum marginem elongatus.

maſticans, ubi cardo confertiſſimis exornatur dentibus, qui, valvulis clauſis, inter ſe coëunt. *Arca*.

primarius, ſ. *cardinalis*, inter nates collocatus.

C*ALLUS* componitur quaſi ex duabus coſtis abbreviatis, baſi adnatis, apice verſus poſteriora convergentibus. 241.

FOSSULA, *FOVEOLA*, *SINUS*, *SCROBICULUS* idem communi ſenſu ſignificant. Diſtinctio tamen quædam inter hos foſſularum ter-

terminos locum habere poſſet, eo quod, ſi dentes foveolæ cartilagine, valvulas connectente, repletæ non ſunt immerſi; ſed libere intra cardinem jacent, talis cavitas appellatur *Scrobiculus*; dentibus autem impleta, *Foveola*.

SQUAMULÆ quid ſint, intelligitur ex piſcibus.

canaliculatæ, longitudinaliter excavatæ. 265.

fornicatæ, ſ. *cochleari-bemiſphæricæ*, ſubtus concavæ, ſupra convexæ. 196. 82.

imbricatæ, ſibi invicem per gradus impoſitæ, ut in domo imbricibus obtecta. 82.

tubuloſæ, ad latera convolutæ in tubum. 265.

STRIÆ, (vide def. ſtriar. §. 8.)

abbreviatæ, ad marginem non extenſæ.

biſariæ, divergentes, ut aliæ anteriora, aliæ poſteriora verſus excurrant. 70.

recurvatæ, elevatæ, membranaceæ, margine verſus nates ſpectante. 47.

inæquilineatæ, non parallelæ. 150.

SULCI (vid. p. 127. §. 8.) aliquando idem ſignificare ſolent ac *Coſtæ*.

fornicati, ſquamis obſiti fornicatis.

retrorſum imbricati, qua ſquamas.

RADII (vide ſupra §. 8. pag. 128.)

echinati, aculeis longitudinaliter exaſperati. 199.

veſiculares, nodis extenſis intus concavis obſiti. 194.

COSTÆ, radii admodum elevati fere triangulares diſtincti & paralleli.

concavæ, intus vacuæ. 73.

INTESTINUM, Tubus membranaceus, quo nonnullæ *Lepades*, & *Anomiæ* aliis adhærent corporibus.

CAVITAS, ſuperficies interior teſtæ.

Plura, ſi videbitur, alii.

EXPLANATIO TABULARUM.

TABULA I.

Fig. 1. *Helix luſitanica.* Teſta umbilicato-perforata, globoſa. *a* umbilicus patulus, *b. b. b.* venter rotundatus, *c* apertura coarctata, lunata. *Obſ.* Aperturæ forma characterem conſtituit eſſentialem Helicis; nonnullæ tamen hujus ſpecies apertura gaudent fere obovata.

Fig. 2. *Turbo bidens.* Teſta turrita; *a-a* venter & *b-b* anfractus contrarii, *c* ſpira mucronata, *d. d.* ſutura ſubcrenata, *e* labium concavum. Apertura dentata, ſuborbiculata.

Fig. 3. *Helix decollata.* Teſta imperforata, oblonga, turrita; *a* anfractus ſurſum imbricati, teretes, *b* ſpira decollata, ſ. mutilato-truncata, *c* apertura obovata.

Fig. 4. *Helix auricularia.* Teſta ovata, obtuſa; *a* venter inflatus, *b* ſpira acuta, breviſſima, *c* labrum dilatatum, rotundatum, *d* plica unica labii, apertura ampliata.

Fig. 5. *Patella equeſtris.* Teſta orbiculata. *a* Cavum teſtæ, *b. b. b.* margo crenatus. *c* labium fornicale, perpendiculare.

Fig.

Fig. 6. *Patella saccharina.* Testa angulata, *a a* costæ septem carinatæ, acutæ, *b* vertex obtusus.

Fig. 7. *Turbo scalaris.* Testa conica, *a a* anfractus cancellati, *b-b* cingula membranacea, obliqueque perpendicularia, distantia, *c* spira acuta, papillaris, *d* apertura orbicularis *e e* labium connatum, reflexum. *Obs.* Hac specie optime character Turbinis genericus qua aperturam perspicitur.

Fig. 8. *Argonauta Argo.* Testa spiralis; *a a* venter compressus undulato - plicatus; duplici serie carinatus, *b - b* carina dentata.

Fig. 9. *Bulla ampullacea.* Testa ovata; *a* dorsum, spira nulla, sed *b* vertex umbilicatus.

Fig. 10. *Cypræa Lynx.* Testa involuta, oblongo-ovata, maculata; *a - a* labia retusa, dentata, dentibus transversis æqualibus; *b* apertura linearis, effusa, longitudinalis. *Obs.* Hæc aperturæ conformatio Cypræis est propria.

Fig. 11. *Cypræa Moneta.* Testa depressa; *a. a* nodoso-marginata, (vide Fig. 13.) *b* dorsum gibbosum, *c* pars anterior, & *d* pars posterior testæ, *e. e* gibbi duo loco spiræ.

Fig. 12. *Cypræa Globulus.* Testa globosa, utrinque rostrata; *a. b* extremitates rostratæ, *a* antica bifida, posteriore *b* longior.

Fig. 13. *Cypræa caurica.* Testa marginata, nebulosa; *a. a. a* margo gibbus & superius & inferius erosus, *b* extremitas anterior aliquantum producta.

Fig. 14. *Buccinum Harpa.* Testa ovata; *a* venter dilatatus; margine superiore attenuato, *b.b.b* varices longitudinales, æquales, distincti, spinis *c - c* pungentibus coronati, *d* spira brevissima mu-

mucronata, *e e* anfractus inferiores dilatati, co-ſtati, *f* cauda vix exſerta, canaliculata, exterius retuſa, dextrorſum procedens. *Obſ.* Caudæ directio hæc characterem præbet principalem Buccini.

Fig. 15. *Murex Tribulus.* Teſta ovata; *a a* baſis ventris, *b-b* ſuturæ agglutinatæ, incraſſatæ, *c-c* ſpira attenuata, acuminata, anfractus transverſaliter ſpinoſi, *d-d* ſpinæ longæ ſetaceæ, curvatæ, omnibus teſtæ partibus adſperſæ; *e* cauda elongata, recta, clauſa. *f-f* labrum dilatatum, ſpinoſum, *g* labium explanatum, *h-h* columella retuſa, *i* rudimentum umbilici, apertura ovata in caudæ canalem deſinens. *Obſ.* Character Muricis petitur ex cauda recta.

Fig. 16. *Nautilus Beccarii.* Teſta ſpiralis compreſſa, anfractus contigui, toruloſi; *a. a. a.* genicula inſculpta, *b. b. b.* articuli toruloſi, *c. c. c.* diſſepimenta, *d-d* ſipho lateralis; dimidium orificium concamerationum teſtæ per medium diſſectæ. *Obſ.* Diſſepimenta ſemper geniculis ſitu reſpondent. Quum teſta diſſepimentis ſiphone perforatis ſit diviſa, ad Nautilos refertur.

Fig. 17. *Voluta Muſica.* Teſta fuſiformis; *a* venter faſciis & lineis interruptis pictus, *b* baſis emarginata, *c-c* anfractus ad ſuturas ſpinis obtuſis coronati, ſpira exſerta, crenata, *d-d* columella 8plicata, *e-e* labrum læve, craſſum, ſolutum, *f-f* labium convexum, explanatum, in columellam deſinens.

Fig. 18. *Murex reticularis.* Teſta reticulata; *a-a* dorſum cum maculis tuberculatis, *b-b* varices oppoſiti, continuati, tuberculati, ſpira mediocris acuminata, *c.* anfractus papilloſo-tuberculati, *d* cau-

cauda exſerta, abbreviata, adſcendens, ad latus aliquantum flexa, *e* emarginata.

Fig. 19. *Murex Ricinus.* Teſta ecaudata: *a* venter confertiſſimo ſpinoſus, *b-b-b* ſpinæ ſubulatæ, *c* ſpira depreſſa, *d* labrum dentatum, dentibus duplicatis, margine ſinuatum, *e-e* labium planiuſculum, *f* columella dentata. Apertura & Faux patula.

Fig. 20. *Trochus maculatus.* Teſta conica: *a* baſis papilloſa, *b-b* anfractus tuberculato-granoſi, imbricati, contigui, ventre infra ſubcarinato, *c* labrum inferne obſolete lobatum, *d* ſinu a labro diviſum, *e* columella torta, umbilico obliquo, *f* apertura tetragona angulata. *Obſ.* Trochus optime apertura hac ſua ab aliis diſtinguitur.

Fig. 21. *Strombus Pes pelecani.* Teſta oblonga; *a-a* anfractus inferiores cingulis binis nodoſis in *b* carinam labri deſinentibus; *c-c* ſuperiores cingulis nodoſis ſimplicibus circumdati, ſtriati: ſpira exquiſita, longa, *d-d** labrum palmatum tetradactylum digitis *d-d ** patentiſſimis, angulatis, acutis, mediocribus, primo & ultimo aduato: Caudalis *d**. productus, ſerratus, ſiniſtrorſum verſus. *Obſ.* Propter hanc caudæ directionem Strombis adſociatur.

Fig. 22. *Helix citrina.* Teſta orbicularis; *a-a* baſis convexa, *b* labrum marginatum, apertura lunata. *c* umbilicus cylindricus, lamina ex labro prodeunte ſubobtectus.

Fig. 23. *Nerita Canrena.* *a* Umbilicus gibbus, bifidus, profundus, verſus poſteriora arcuatus, *b-b* labrum dilatatum, arcuatum, obtuſum, integrum. *c-c* labium columellæ transverſum, in medio retuſum, truncatum. Apertura hians edentula. *Obſ.* Labii hæc enarrata figura & extenſio Ne-

Neritæ conſtituit generis characterem principalem.

Fig. 24. vid. Gualtier. *Fig.* 69. *L.* Teſta (nondum in Syſt. Nat. ill. Pr. recepta,) ovata, coſtata; *a-a* coſtis acutis decuſſatim ſtriatis; *b* ſpira lateralis, margo dentatus.

Fig. 25. *Haliotis parva.* Teſta ovata auriformis decuſſatim ſtriata; *a* ventris dorſum angulo elevato, foraminibus, diſcum occupantibus, parallelo, cinctum, *b.* ſpira occultata, lateralis.

Fig. 26. *Murex ſaxatilis.* Teſta contigua, frondoſa; *a-a-a.* frondes, *b* venter lineis criſpatus, ſpira contigua, *c* labrum ſinuatum, columella retuſa, in labium reflexum continuata, *d d* cauda abbreviata, clauſa, recta, apertura ovata.

Fig. 27. *Trochus Teleſcopium.* Teſta imperforata, turrita, transverſaliter profunde ſtriata, anfractus indiviſi; *a* baſis, *b* columella exſerta ſpiralis, *c* labrum dilatatum, inferius plica unica ſinuatum, columellæ adcretum, labio in fauce occultato, integro, apertura tetragona.

Fig. 28. *Murex Vertagus.* Teſta turrita, digitiformis; *a-a* venter & anfractus ſuperne plicati, *b* cauda adſcendens, *c* columella plicata, *d* labrum dilatatum, poſtice retuſum.

Fig. 29. *Strombus Scorpio.* Teſta oblonga turbinata; *a-a-a* dorſum cingulis tribus nodoſis ſtriisque undatis cinctum, *b* ſpira conica, labio, cui incumbit, brevior, *c-c* ſuturæ elevatæ, *d-d* labri margo repandus, exſerens digitos ſeptem, *e* digitus caudalis ſiniſtrorſum flexus, *f-f* digiti laterales omnes antrorſum radiantes, nodoſi, nodis *g-g* oppoſitis, lateralibus, dorſalibus.

Fig. 30. *Strombus Fiſſurella.* *a* Anfractus coſtis carinatis reticulati, *b* labrum coarctatum, continuatum in *c-c* carinam fiſſam longitudinalem circum ſpiræ apicem revolutam, *d* cauda brevis, labro aliquantum ſoluto.

TABULA III.

Fig. 1. *Chiton aculeatus.* Teſta octovalvis, *a-a* valvulæ longitudinaliter digeſtæ, dorſo incumbentes, *b-b* lateribus rotundatis, *c-c-c* limbus ipſius animalis. Valvularum hic enumeratus ſitus, *Chitoni* eſt ſpecialis.

Fig. 2. *Lepas anatifera.* Teſta compreſſa ſtriata quinquevalvis; *a* valvulæ majores ſubquadrangulares, anterius conniventes, ad baſin transverſim abſciſſæ, *b* valvulæ minores ſubtriangulares, apicem teſtæ occupantes, *c* valvula ſolitaria, rotundata, acuta, *d* brachia extenſa, *e* inteſtinum ſquamoſum, *f* cultro apertum, quo videatur illud eſſe cavum. Lepades eo ab aliis diſtinguuntur, quod ſint multivalves, inæquivalves, paraſiticæ.

Fig. 3. *Pholas Dactylus.* Teſta bivalvis, *a a a* valvulæ ſuccenturiatæ tres, difformes ad cardinem, *b-b* extremitas ſuperior attenuata, reticulato-punctata, *c-c* inferior obtuſata, transverſaliter ſtriata. Teſtæ a ſe invicem remotæ. Proprietates hæ enumeratæ veri ſunt characteres Pholadum generici.

Obſ. Sequentes Teſtas, *Fig.* 4, 6, 7, 8, 9, 10, 11, 12. *A.* qua poſteriores partes ita abſciſſas trado, ut tantum cardinis adjacentium partium interiora, dentibus ornata, detegantur.

Fig.

Fig. 4. *Oſtrea.* *CHAR. GEN.* Cardo edentulus, ſcrobiculo, medio ovato excavatus, vulva anusve nullus. *O. Pallium*, *a* Cardinis ſcrobiculus cavus, ovatus, *b* auricula ſuperior integra, *c* auricula inferior producta, exciſa ſ. diſſecta, *d* infra baſin ſubdentata.

Fig. 5. *Donax.* *CHAR. GEN.* Dentes *a* parimores duo compreſſi, dens *b* analis oblongus, ſolitarius, foſſa, dentes primarios ab anali ſeparante, remotus. *D. ſcripta*, *A.* valvula ſiniſtra, *B.* valvula dextra, *c* margo crenulatus, *d* nates acutæ, reflexæ.

Fig. 6. *Mya.* *CHAR. GEN.* Dens *a-a.* primarius ſolidus, craſſus, patulus, vacuus. *M. pictorum*, *b.* dens lateralis anticus longitudinalis, primarius crenulatus & ſiniſtræ valvulæ *c. c* duplicatus, *d. d.* nates, *e. e* regio vulvæ, *f. f* regio ani.

Fig. 7. *Solen.* *CHAR. GEN.* Dens *a* ſubulatus, reflexus, ſæpe duplex, vacuus, margo lateralis obſoletior. *S. Strigilatus.* Dens unicus in ſiniſtra, duo in dextra, unde exit *b* margo prominens ſub regione vulvæ: Deſuit mihi dextra valvula; ſiniſtram igitur tantum hic depictam vides.

Fig. 8. *Tellina.* *CHAR. GEN.* Dentes tres primarii laterales plani alterius teſtæ. *T. Remies*, *A* ſiniſtra, *B* dextra valvula. Dentes *a-a* primores extantes, remoti, *b-b* analis unicus, confluens cum cardine, *c-c* anticus aliquantum remotus, ambo oblongi, foſſula diſtincti, nymphæ obtuſæ, longitudine *d-d* labiorum; *e-e* rima analis dentata.

Fig. 9. *Cardium.* *CHAR. GEN.* *a-a* Dentes medii (primarii) bini alternati, (unus reſpon-

dens alterius foveolæ,) fossula profunda distincti, laterales remoti, *b-b* unicus sub ano, & unus *c-c* sub vulva. *C. aculeatum*, *A.* valvula sinistra, *B.* valvula dextra, *e. e.* nates prominentes, inflexæ, decussatim striatæ. *Obs.* in hocce specimine dentes anales fuerunt quasi aliquantum bipartiti.

Fig. 10. *Mactra.* *CHAR. GEN.* *a-a* Dens primarius complicatus, adjecta in medio foveola, *b-b* laterales remoti inserti. *M. stultorum*, *A.* valvula sinistra, *B.* valv. dext. Dentes extantes, compressi, membranacei, *c-c* vulva gibba; *d-d* nates reflexæ. *e-e* regio ani.

Fig. 11. *Venus.* *CHAR. GEN.* Dentes *a-a* primarii, *sinistræ* tres, *dextræ* duo, omnes approximati, *b-b* laterales, apice divergentes. Anus distinctus, & vulva. *V. Dione.* *A.* valvula sinistra, *B.* dextra; valv. semicordatæ æquivalves, *c-c* nates recurvatæ, obtusæ, *d-d* ani regio impressa, *e-e* nymphæ, cavum fornicatum sub umbonibus.

Fig. 12. *Chama.* *CHAR. GEN.* Dentes *a-a* primarii, gibbi, robusti, in longitudinem extensi, per gradus cardini impositi, obliquæ fossulæ oblique inserti, vulva clausa absque nymphis. *Ch. Gigas.* *A.* valv. dextr. *B.* valv. sinistra, *b-b* regio ani retusa, *c-c* regio vulvæ. *B.* Valvula plicata, *d-d* plicis quinque robustis, fornicatis, incisis, extra limbum eminentibus.

Fig. 13. *Anomia.* *CHAR. GEN.* Testa inæquivalvis, valvula altera planiuscula, altera gibba basi. Harum prima *a* sæpe basi perforata. Cardo edentulus. Dens lateralis prominens, margini valvulæ planioris affixus, convexæ autem ad cardinem aliquantum extensus. *A. Cepa*, Testa ovata,

ta, valvula *b.* plana perforata. Ex foramine hoc extenditur tendo, testam alienis corporibus affigens.

Fig. 14. *Spondylus Gæderopus.* CHAR. GEN. Dentes *a-a* cardinis duo, incurvi, cum foramine intermedio. Fossulæ tres. Una intermedia, ceteræ ad dentium latera collocatæ, *b* nates quasi cultro inæqualiter abscissæ.

Fig. 15. *Arca.* CHAR. GEN. *a-a* Dentes numerosi alterni s. masticantes, acuti, inserti, *b* nates prominentes, recurvæ, *c-c* margo crenatus.

Fig. 16. Quo anus in conspectum veniret, *Venerem Dionen* heic inverse depictam vides. *a-a.* Vulva ovata oblique striata, pubes ciliaris spinis *b-b* subulatis, adscendentibus, antrorsum arcuatis, superioribus longioribus, ex monte veneris *c-c* ad nates descendens, *d-d* labia armata spinulis a natibus ad medium *e* rimæ. Rima inferius fere lanceolata, hians, labris ibi prominulis, *f. f* nates reflexæ, approximatæ, transversim sulcatæ, *g* anus impressus, ovatus, striatus.

Fig. 17. Facies lateralis valvulæ sinistræ *Veneris Diones; a* labia, *b. b.* pubes, *c.* nates, *c-d* umbo, *d-e* discus, *f. f. f.* limbus, *g-h* margo anterior, *h-i* margo inferior, *i-k* margo posterior; *k-g* margo superior.

Fig. 18. *Cardium pectinatum.* Testa semicordata, *a.* pectinata, *b* nates, *c* regio ani, *d* regio vulvæ. Totus ambitus crenatus.

Fig. 19. *Cardium echinatum.* *a* Regio vulvæ, *b* regio ani, *c* nates, *d* umbones. Valvula sulcis exarata distantibus, elevatis, acuto-carinatis, ciliatis, spinis subulatis reversis, margine profunde crenato.

Fig. 20. *Chama Gigas.* Teſta plicata, inter plicas longitudinaliter ſtriata, *a-a* plicæ ſquamis lunatis, fornicatis, adſcendentibus obſitæ, *b-b* margo repandus.


Fig. 21. *Anomia craniolaris.* Valvulæ conicæ facies interna *a. a* eminentiis duabus rotundis, impreſſiones in alteram valvulam efficientibus, prædita, *b.* cardo transverſaliter truncatus.

Fig. 22. *Arca barbata.* *a* Apex rotundatus, ſtriatus, barba obtectus; *b* nates.

Fig. 23. *Animal Anomiæ* nondum antea depictum. Corpus *a* ligula emarginata, ciliata; *b. b.* brachia duo, linearia, conniventia, corpore longiora, ciliata.







Tab.III.





CLIX.

RESPIRATIO DIÆTETICA

QUAM

PRÆSIDE

D. D. CAR. V. LINNÉ

proposuit

JONAS ULLHOLM

Wermelandus.

Upsaliæ 1772. *April.* 29.

---

§. I.

Aëris est elementum, in quo versamur, quemque nunc ducimus, nunc reddimus, ut piscis aquam, a primo illo momento temporis, quo materna ex alvo egressi sumus, ad ultimum usque vitæ terminum, sine ulla, vel minutissima, intermissione, si quidem vita frui volumus. *Pulmones*, peculiare viscus, aëri reciprocando inserviens, Creator dedit, æque nobis necessarium, atque est Cor. Etenim ex his duobus, corde videlicet quod fluida premit, & pulmonibus sicca spirantibus, vita pendet, haud fere aliter, ac duobus ponderibus carere nequit horologium, ita quidem, ut si alterutrum ex duobus illis impediatur, totum humanæ vitæ veluti horologium immobile subsistat. Machina humani corporis tanquam ex duabus partibus, natura differentibus, est

composita, interna nempe & externa substantia, quarum utraque sibi propriam nutrientem materiam exposcit: Internum seu systema cerebri, quod est agens & omnem in corpore motum excitat; Externum, quod est patiens & ab interno regitur, dum hoc tamen ab illo enutritur. Nam contrariis fere sua omnia natura operatur, secum invicem pugnantium rerum lucta toti sibi parat æquilibrium. Horum duorum suum cuilibet est principium, quorum utrumque in ovo jungitur conceptione, tumque constituit *carinam Malpighii, & punctum saliens Harvæi.* Systema nervosum in ovo incubato, post aliquot dies, telæ instar araneæ formam pulli videtur repræsentare. Mox cernitur punctum saliens, seu cor, pulsare, nec aliter atque herbam in ramos crescere, vasisque pullum formare. Scilicet embryo duobus e principiis componitur, veluti tela stamine & subtemine; nervi tamen stamen præbent, vasa venosa subtemen; nam maximum roboris ex nervis provenit. Ambo diversa alimenta postulant æque necessaria, quippe quum hi individui comites, si alter alteri defuerit, consistere non possint. Corpus Externum vasculosum succis vitalibus, per œsophagum immittendis, sustentabitur; Corpus Internum nervosum e vaporibus vitalibus, *spiritus animales* vocant, per tracheam illatis, nutrimentum accipiet. De hocce posteriori mihi jam est propositum differere, nempe *de effectibus aëris in animalium corpora, præcipue secundum regulas diæteticas consideratis.*

§. II.

Pulmo est organum, a Creatore factum, ut Inspiratio & Exspiratio peragatur, uno nomine RESPIRATIONEM vocamus. Trachea dividitur per dichotomiam magis magisque, donec in tenuissimas desinit vesiculas, e quibus pulmo constat, quæque etjam

etjam veſiculæ, aërem ſibi invicem communicare poſſunt. Si junctas harum areas in planum extendi cogitamus, ſpatium ſuperficie totius corporis majus orietur. Aër ſub unaquaque reſpiratione, in pulmones ingreditur, & retrograditur, at cum ſanguine in pulmonibus non commiſcetur, tametſi variatus exit. In pulmones ingrediens, multum in ſe elaſtici habet, quod ibi omnino evaneſcit; poſtea ineptus novæ reſpirationi, & egrediens ſecum multum perſpirabilis ducit; quod, cum verſus ſpeculum aut in frigore exhalamus, videri poteſt. Perſpiratio Sanctoriana, quæ maximam partem ingeſtorum exhalat, præcipue per poros egredi cenſetur, at vero haud minor copia exſpiratione evaporatur.

§. III.

Talis fabrica eſt pulmonum in *Mammalibus*, *Avibusque*. Sed AMPHIBIORUM, REPTILIUM & SERPENTIUM alio modo creatus pulmo, quo hæcce animalia aërem inſpirant ita, ut ſine viſibili exſpiratione & lente quaſi in corpore diſpereat. PISCIBUS, pulmonis loco, ſunt *Branchiæ* operculis contectæ Branchiarum, quibus, dum aperiuntur & coarctantur, aqua inter branchias ſatis lente premitur. INSECTIS, pro pulmonibus, ſerviunt plures tracheæ ad latera abdominis, *Stigmata* dictæ, quæ ſuo quæque poro apertæ hiant. Si oleo hi pori clauduntur, mox inſecta ſuffocantur. *Apes*, ubi multum diuque circumvolitaverint, videmus, ſimulac domum redeunt, citiſſime ſegmenta ſui abdominis expandere & contrahere, haud aliter ac ſolent Mammalia fortius citiusque poſt longum laborem reſpirare. VERMES adhuc non bene obſervati & cogniti ſunt, quod ad illorum reſpirationem attinet; neque tamen neceſſariam his reſpirationem negare audemus, quum aliquid analogum reſpirationi,

tioni, ſi quis arctiori loco clauſerit, in illis perſpiciatur.

§. IV.

Omnibus temporibus Phyſiologi ſollicite conati ſunt effectum reſpirationis in corpore humano exquirere. Veteres credebant, ſanguini eam eſſe refrigerio; poſtea invaſit opinio; qua putabatur aër, dum reſpiramus, cum ſanguine commiſceri, quod tamen nullo experimento confirmari potuit; tandem viſum eſt permultis, ſanguinem in pulmonibus tanquam cribro ſecerni, fierique floridiorem. Ruber ſanguis non ſolum in animantibus invenitur, quæ pulmones duosque ventriculos cordis habent, ſed in his etjam, quibus pulmones quidem, at unus modo cordis eſt ventriculus, tum in piſcibus pariter, quibus unum ventriculum cordis branchiasque natura dedit. Sed neque iſtud tamen primarium finem reſpirationis conſtituere, palam faciunt ea animalia, quorum cordi unus tantum ineſt ventriculus. Etenim ſola Mammalia Avesque duobus in corde ventriculis utuntur, ita quidem, ut ſanguis e ventriculo dextro per arteriam pulmonalem, quæ in ramulos inter veſicas pulmonum abit, per venam provehatur pulmonalem, in ſiniſtrum egrediens ventriculum; quæ omnia animantia, at nulla alia, calidum habent ſanguinem, inſpiratione & exſpiratione ſatis feſtinanter ſolitum reciprocari. Videmus quidem reſpirationem accelerari, tum febribus, tum externo exercitio & motu muſculari, quibus calor putetur augeri, at vitalem auram in fortiori motu, qui eſt functio nervorum, magis eſſe neceſſariam, & requiri ad corroborationem, & deperditorum ſpirituum compenſationem, credi poterit eo facilius, quod videatur reſpiratio augeri debilioribus, ſive morbus ſive debilitas texturæ corporis tales eos fecerit.

§. V.

§. V.

Aër, qui pulmones intravit, hinc retrograditur, uti dictum est, etsi non in sanguinem. Sed tamen heic qualitatem quandam perdit, quam inductam secum non educit, videlicet æthereum quidpiam, quod quale re ipsa sit, nobis valde obscurum est. Quidquid enim *ætherem, electricitatem, magnetismum, spiritum, elasticum* &c. vocamus, & aëri immixtum novimus, hujus claram ideam nondum comparare licuit. A posteriori scimus, aërem tale quid perdidisse, postquam in pulmonibus *electricitate* & *elasticitate* sua orbatus, ac novæ dein respirationi ineptus, exiit. Nam certe animal quod demumcumque, arctiori loco, quem liber aër non pervadit, sive theca, sive vitro, inclusum, simulac omnis, qui adfuerit aër, pulmones pertransiit, necessario oportet emori, sicuti candela ardens, in clausa lucerna exstinguitur, ubi flamma tantum ignoti illius pabuli collegit, quantum circumsepto in aëre exstiterat.

§. VI.

Actio pulmonum si accuratius perpendatur, haud facile possumus aliud statuere, quam respirationem in systematis cerebrosi usum institutam, pulmonumque hoc esse officium, ut ex aëre tenuissimum illud colligat, quod spiritus animales vocamus, & lampadem vitæ sustentat. Pulmones & Cor systole & diastole sua haud sane sunt synchroni, sed tres plerumque ictus cor pulsat, sub unaquaque respiratione. Cerebrum coarctatur paullulum, mox dilatatur, alternis vicibus, in homine, certe jam nato, licet haud similiter in fœtu. Hæc cerebri systole & diastole non cordi, sed pulmonibus synchrona est.

In feroci *Tussi Convulsivæ*, cerebrum versus cranium distenditur, ita ut ægroto intercludatur spiritus, isque tanquam syncope laboret aut suffocetur.

In fortioribus *sternutationibus* sæpe vertigine capitis afficimur, immo & per nares sanguis erumpit; sub sternutatione illorum, in quibus terebra perforari calvariam oportuit, cerebrum promicat, ac si per aperturam cranii se vellet exprimere.

Quibus, sub magno exercitio, aut lucta, firmiores vires vitæ opus sunt, hi *anhelitum* detinent valdeque premunt; qui vehementiori nisu quidpiam aggrediuntur, graviter etjam anhelant, naso oreque aperto, ut cum respiratione majorem vitalium copiam virium adquirant.

Affectus, qui valida cerebri actione oriuntur, semper respirationem mutant: Iratus sonoros, per nares, anhelitus ducit & pulmonibus haud minus, ac si esset Asthmaticus, agitatur: Timidus ægre trahit spiritum, subesse dyspnœam putares.

Mens speculativa omnes suas cogitandi vires colligens, frontem corrugat, sulcos intra oculos arat, indicem sæpe interponit, oculos obliquat, ciliis conniventibus sublustrat, contrahit malas, genas, labra, pectus, respirat alte, taciteque levat pulmones, parum levatos reciprocat, respirat etjam per fauces, dum visus, auditus fere otiantur. *Svedenb. Cereb.*

Qui molesto ex *nidore* Cephalalgiam, Vertiginem, Carum contraxerunt, in locum alium, quo puriorem auram hauriant, deportati curantur.

Qui *camera* clausi, tanquam carcere, tenentur, vitæ fere debilitantur viribus. E contrario, qui se

se crebrius sudo aëri permittunt, fortiores fiunt & alacriores.

Destillationes e capite in pectus, quæ sæpissime debilitato capiti originem debent, facillime tutissimeque motu, sub dio, equitatione potissimum & mutatione aëris, sistuntur.

His, qui *animo liquuntur*, quod accidit, ubi nervis haud sufficiunt amplius vires ad cor movendum, tutissime insufflatione medemur.

Sicubi tenera mollisque femina in convivio aliquo, cui major adest hospitum numerus, deliquescere occœperit, nova quasi vita recreabitur, simulac in aërem educta fuerit.

Infans sub partu moribundus revocatur ex orci faucibus sola insufflatione; medicina, quæ apud Ægyptios ab longo inde tempore, & adhuc multum culta est, teste *Alpino*.

Aquis submersi sæpe excitantur ab inferis apertura tracheæ, afflatu auræ purioris per folliculum.

In periculosissimis *morbis* perfrequenter vitales vires respiratione metimur, quæ semper, prout opus vitæ fuerit, intenditur; ex imo pectore ductus spiritus corpus levat & vitales vires tanquam auget, unde & post gravem laborem anheli aërem trahimus.

Qui magno dolore aut affectu alio violentiori obruuntur, profunda agunt *suspiria*, quibus egeritur expelliturque dolor.

Contra, spiritum idemtidem supprimere, perniciosa consuetudo; *Servi* in America, ex Angola Africæ advecti, sicubi durius a Dominis tractantur, magno nonnumquam numero in mortem con-

conſpirant, ut a Dominis grandi ſumma pecuniæ coëmti, hujus jactura injuriam ulciſcantur; moriuntur autem intermiſſa ultro reſpiratione. Servus Barbarus coërcito ſpiritu mortem ſibi conſcivit. *Galenus*.

Canis vivus, cultro anatomico ſubjectus, mortique tandem proximus, paullulum adhuc refocillatur inſufflatione aëris puri per tracheam. Ex his omnibus manifeſtum eſt, quem in modum æthereum, elaſticum illud, quod nervis vitam largitur, pulmones colligant, adeo ut hi æque certo ad ſyſtema cerebroſum pertineant, ac ventriculus ad corpus vaſculoſum.

§. VII.

NASUM Deus reſupinatum infundibulum poſuit, quo aër attrahitur, nam & in ſinu frontis per labyrinthos agitur, ut, ſi quid terreſtre immixtum advenerit, in ſinu illo frontis ſecernatur. Omnia animalia ſecundum ordinem naturæ per nares reſpirant, niſi agitata forte a venantibus, copioſiorem auram vitalem ore ſibi parare aperto cogantur, ut plus virium vitæ colligant. Multi ſolent hominum *ore aperto* reſpirare, peſſima conſuetudine, quæque in juvenibus corrigi debuiſſet, nam inde pectus læditur. In cameris noſtris obſervamus, ſi, exempli gratia, ſpeculum quoddam in menſa ponatur, poſt aliquot dies tenui illud pulvere obductum cerni. Si pulvis hicce microſcopio conſideratur, patebit, minutulis eum particulis arenæ aut plumarum contineri, quæ cum aëre per ora in pulmones immiſſæ, digeri in his nequeunt, ſed ſæpe cauſſam phthiſi primam exhibent, quod, ſi naribus ſua permiſſa fuiſſet functio, non accidiſſet; quare etjam qui multum per os reſpirant, ſæpiſſime aſthmati & phthiſi fiunt obnoxii.

Quanto vitio pulvis lapidosus pectus oneret, apud *Orsenses* Dalekarliæ videre licet, qui ex teneriori lapide arenaceo Cotes suas rotatiles secant, & ante annum tricesimum phthisi plerumque moriuntur. Quin & *Lapicidæ* Stockholmienses, tantum non omnes, aut calculo pulmonum, aut phthisi, aut hæmoptysi enecantur; quandoquidem pulvis ille tenuis lapidosus adeo penetrabilis est & volatilis, ut vesica urinaria, inflata suspensaque in officinis illorum, post exactum annum, aliquot scrupulos pulveris tenuis lapidosi intus continere deprehendatur.

Quocirca opulentiores nostrorum hominum pulvinos *plumis* effartos improbant, & illorum loco stratis incubant e setis equinis, quoniam pulvis e plumis oriundus pectus gravat, & penna sive pluma quoad demumcumque coquatur, vix tamen solvitur.

In superiori parte nasi etjam organum olfactus Creator constituit, ad *odorem*, viribus vitæ aut systemati nervoso noxium, indicandum, ut tempestive omnia graveolentia, volatilia, & naturæ inimica fugiamus.

§. VIII.

Omnem ubique aërem unius ejusdemque esse indolis, haud difficulter quispiam crederet. Sed multis variationibus ratione frigoris & caloris, siccitatis & humiditatis, levitatis & ponderis, rarefactionis & densitatis, tranquillitatis & flaminis subjectus est, præterquam quod variis misceri solet volatilium corporum exhalationibus, quæ e terra adscendunt. Singulatim de his agere, nimis jam longum foret, quum insuper otium mihi fe-

cere D. Doctor Brodd in Differt. de Morbis ex hieme, & D. Affeff. Siefvert in Differt. de Aëre habitabili. Ab his prolata præteriens, fpeciales tantummodo obfervationes quasdam adjiciam, quibus omnibus inferatur, quam accurato follicitoque ftudio delectus fit habendus aëris, in foro diætetico; quare etjam Auctores diætetices inter fex res fuas non naturales, aëri refpirando primum vulgo tribuerunt locum.

AËR SUFFOCATUS, qui in *fepulcretis* diu claufis, in *puteis* profundis diuque neglectis, in *cellis* fubterraneis, in *ciftis* a longo tempore coopertis occurrit, tam eft mortiferus, quam qui usquam maxime; nec alia peftis ulla adeo inopinam fubitamque mortem infert. Nam fimulac quispiam in tales latebras vel nafum immiferit, fine prægreffo ullo fymptomate enectus illico in terram concidit. Num propterea, quod talis aër, orbatus æthereo, in fe fpirituofum vitale rapit?

AËR PUTIDUS e locis uliginofis, cæfpitofis, & paludofis exhalans, ubi diu aqua fub terra ftagnavit, femper morbos affert, quare etjam infalubre eft prope talia loca obambulare, præfertim mane & vefperi, dum adhuc aguntur nebulæ.

Hujus generis eft *venenatus halitus*, qui prodire e tellure multis in locis obfervatur, uti e Scrobe Peralti Monfpelii, Grotta del Cane in Italia, Antro Pyrmontano &c.

Avernus lacus quondam Campaniæ Plutoni dicatus, veteribus tam mortiferum vaporem exhalare ferebatur, ut aves transvolantes perimeret, Augufti poftremum juffu, excifis filvis circumjacentibus, expurgatus.

Stu-

Stutgardia in Germania, *Tolosa* in Gallia, adeo olim inimicæ erant ſano corpori, ut ne viſitarent peregrinatores, metu morborum abigerent; nam qui haud expertus advenerat, raro illæſus inde rediit. Nunc ſtagnantibus ante aquis per paracenteſin eductis, æque celebrantur ſalubres, atque loca ulla alia.

Upſalia noſtra multo fieret valetudini commodior, ſi vetuſta palus foſſaque, noſtris dicta *Kamphaf* & *Stadsdiket*, perfoderentur, ut aqua porro dimitti poſſet. Diris, tum ſperamus, febribus exacerbantibus, quæ tot ægros quotannis cruciant & exanimant, careremus.

§. IX.

NIDORES, occluſis temere caminis, perfrequentes nobis, quibus, ſub frigido nimis climate, camini neceſſarii ſunt, ad calorem parandum ſervandumque ædibus, ſi minus provideamus aut feſtinemus claudere, multas & periculoſas ſyſtemati cerebri noxas concitant, quare etjam auſtrales nationes numquam operculis caminorum utuntur. Sæpe nobis Coryzam, debilitatem capiti doloremque, immo & Carum ipſamque mortem advehunt, adeo ut, qui ſoſpes ac ſanus veſperi iverit cubitum, mane mortuus ſuper lecto repertus ſit haud raro; quem ad modum heic Upſaliæ, ante aliquot annos, duobus accidiſſe famulis meminimus; ne caſus hujusmodi innumeros alios ac pertriſtes in patria noſtra percenſeamus. Eſt autem eo gravius periculum, quod nidorem ipſe ſæpe ille, quem aggreditur, non animadvertat, dum tamen ſomno tentatus primum, mox obdormiſcit & emoritur.

Præ cæteris nuper exſtructi camini, aut pingue, quod his forte inciderit, nidorem creant haud diu-

tinum minus, quam perniciosum. Omnes denique camini, in quibus per longum tempus ignis non accensus fuit, fœdum pariter nidorem edunt.

Neque nunc loquar de fumo, quem supposito igne spargunt mineralia, ut arsenicum, plumbum, hydrargyrium & antimonium.

§. X.

PUTREDO & ACESCENTIA sunt duo illa veluti subsidia, quibus natura omnia dissolvit destruitque corpora. In primis heic efficax est putredo, quæ in alkali volatile cadavera permutat, sublata particularum cohæsione. Hæc omne viscidum disjungit. Est autem omne nutriens viscidum; nam gluten aut ichthyocolla soluta, simulac putrescere occœpit, vi postea ad conglutinandum destituitur, & ipse Sphacelus nihil aliud est quam putrescentia carnis in animali vivo, ut Gangræna est rancescentia pinguedinis. Omne putridum est septicum & corrosivum, ipsi veluti naturæ horrendum. Saluberrimum quod erat ovum, putredine maximum fit venenum. Aqua e cadavere putrido exstillans est corrosiva & fere Sphacelo exulcerans, teste *Meadio*.

Ubi solemne est in templis mortuos sepelire, æstate fœtor oritur, quo haud paucos correptos in morbum incidisse, immo & mortuos esse, satis constat.

Oppida clausa obsidione, ubi homines & animalia fame intereunt, & insepulta non raro jacent cadavera, febres mortiferæ invadunt.

In *navibus*, quæ Indiam alterutram petunt, sicubi stagnans aqua computruit, sæpissime Febres putridæ & Dysenteriæ aggrediuntur.

Qui

Qui ad litora maris habitant, in quibus fucus, medusæ & alia recrementa maris ejecta calore æstatis putrescunt, facie luridi, tristes, hypochondriaci, & morbidi obveniunt.

E majoribus *urbibus* eductæ sordes extra vallum vulgo projiciuntur; ex quo fit, ut proxime habentes domos, fœtore urgente, corripiantur febribus, quæ ibi primam originem ducunt. In locis tali fœtore vitiatis, ipsa vasa argentea, stannea, ænea, immo lintea denique, arctissimis licet clausa repositoriis, nigritia imbuuntur, quæ vix ablui possit, teste *Dygbæo*.

Dentibus, nisi idemtidem laventur, squalor inhærescit, qui tandem correptus putredine, cadaverosum dat halitum & ipsos dentes aggreditur. Nempe in scorbuto, quia œdema etjam gingivarum nascitur, & gingivæ laxæ generationem viscidi in dentibus admittunt, ex hac putredine oris forte petatur caussa, cur scorbutici facie tristi minimeque nitenti utantur, haud aliter ac ozæna qui laborant, & per nares semper fœtorem horrendum exspirant, luridi & tristiores conspiciuntur. Nam lux faciei, quam veteres dicebant, aut splendor cutis, recte valentes indicat, in morbidis sensim evanescit.

In urbibus etjam, quæ civium abundant frequentia, quibus proinde multæ sunt *cloacæ*, per æstatem horrendus fœtor circumvagatur, ex quo febres plurimæ, cessantes maximam partem, simulac pluvia aërem purgaverit atque sordes veluti abluerit.

De Judicibus in Anglia memorat Verulamius, siquidem muneris tenebantur ratione, ut semel quotannis captivos fœtidis in ergastulis inviserent, sæpe

ſæpe accidiſſe, ut peſſimis afflarentur morbis, & mortem inde interdum occumberent.

Omnes *Artifices*, qui in rebus verſaatur putridis, ut Coriarii, Candelarii, Veſpillones, Foricarii, vulgo decolores, luridi & cachectici ſunt, teſte *Ramazzino & quotidiana experientia*.

Cuſtodes *Noſocomiorum* ſæpiſſime morbis afficiuntur.

Judæi, ſordidi ut plurimum & inculti victu reque familiari, colore produnt vitiatam valetudinem.

Moniales, anguſtis prohibitæ cellularum clauſtris, ſæpiſſime a fœtore pallent, nigræ & emarcidæ.

Tota natura ab his, quæ fœtent, abhorret.

Equus longe in latus divergens rapitur, ſicubi, juxta viam, putridum cadaver ſubolfecerit.

Viverra Putorius a ſe feras hoſtesque alios diſpellit, fœtore tantum illo, quem emittit, terribili, ut primum hoſtes appropinquaverint.

Ex his ſatis ſuperque elucet, quantopere malus aër noceat, quamque ſit neceſſarium, ut qui ſanum ſe alacremque ſervare velit, haud minus accuratum ac continuum purioris reſpirandæ auræ delectum, quam ingeſtorum, adhibeat. Quare etjam Moſes juſſit, ut milites in caſtris ligonem ſecum portarent, quo excrementa obtegerent, ne morbi caſtrenſes, Febres malignæ & Dyſenteriæ excitarentur, ut ſæpe accidere hodie compertum eſt. Nec minus prudenter Imperator Theodoſius lege ſancivit, ut cloacæ Romæ mundarentur, ne

fœtor

fœtor inficeret. Tempore autumnali & verno, dum vegetabilia, folia & ramenta herbarum putrefcunt, plurimæ febres folent infeftare.

§. XI.

Purum aëra, quo *rura* fere gaudent, præfertim editioribus in locis, ubi exhalationes ventis difperguntur, inprimis falubrem fentiunt, qui fub illo habitant; quin & frigus ipfum tum aëra, tum aquam, purificat. Itaque fanitatem qui fervare ftudent, aërem purum ubique deligant; cibum non fumant, nifi ubi purus & falubris aër & faliva poffit commifceri & pulmonibus attrahi; in cameris, quibus depreffius tectum, non dormiant; nec obambulent, ubi ftagnans aqua fœteat; nebulas denique, denfis plerumque exhalationibus gravidas, fugiant. Sed vero e camera, quam inhabitant, progreffi idoneo etjam corpus exercere motu conentur, haud continue detinendi fuetis ædiculis; tum lintea diligenter mutent, ne, poftquam hæc perfpiratione ejectum fudorem imbiberint, malo contaminentur fœtore.

In templis *fornicatis*, ubi aër una cum fociis exhalationibus detinetur, multi, præfertim vere & autumno, febribus intermittentibus pertentantur.

In *ædes nuper exftructas* lapidibus, quæ per duos & tres annos e muris vaporem aquofum exhalant, ut charta in menfa forte pofita infcribendas litteras vix admittat, fi qui citius immigrant, in mortiferos morbos incidunt; uti norunt omnes, Stockholmiæ, ante aliquot annos, accidiffe, quum fumtuofæ domus, poft incendium aquilonalis fuburbii, exftructæ, perplures viros haud fane de

plebe, nimium properantes, ut inhabitarent, præmaturæ morti tradebant.

§. XII.

ALTIUS SITÆ regiones, quæ minori attinguntur exhalationum vi & ſiccæ ſunt, febres intermittentes fere ignorant, contra poſitæ humilioribus locis, ubi tellus potiſſimum eſt argillacea, aquæ tenacior, multis talibus febribus afficiuntur. Pulcra & opipara Hollandia, quæ tota depreſſa ſitu eſt, uti nobis heic Upſaliæ *pratum* dictum *Regium*, peregrinis fatalis accidit; qui illuc advenerint, raro noſtalgiam & febres criticas effugiunt.

Aegyptus ſalubris eſt incolis, per hiemem, quo tempore non pluit, & ſaluberrima circa Pyramides, ubi cœlo numquam pluvia demittitur.

Chinæ & *Tatariæ* deſerta, ab omnibus fere immunia exhalationibus, faciunt quidem, ut incolis fibræ rigeant, at in cauſſa ſunt quoque, cur hi parum ægrotent.

Helvetii & *Sueci*, nati regionibus montoſis & editioribus, ſi quando peregrinantur, recte valent, donec per loca depreſſa ferri non neceſſe ſit.

Qui tempore autumnali, inter *Romam* & *Neapolin* itinera faciunt, raro devitant, quin febre mortifera laborent, quod Quercetanus in diæteticis dudum notavit, & anno proxime decurſo Generoſiſſimus Baro de Baltimore ſuo ipſius funeſto exemplo confirmavit.

Scania, qua ſilvis diſtinguitur, lapidoſa & ſilvatica eſt, hinc agilia etjam in incolis & læta nutrit corpora. Contra campeſtris, quia argilloſa eſt &

& arenoſa, ex quibus duabus cauſſis fit, ut aqua diu moretur, nec diffluat, & habitacula paſſim ſuffocante aëre oppleantur, corpora quoque incolis debilitat, ut his omnino ſint diſſimilia, quæ in parte vigent altera.

SERENUS AËR proprius fere eſt altioribus locis, quare & majores noſtri ædificia in collibus exſtruebant. Nunc neceſſitas copioſioris aquæ, coëgit, ut plurimæ urbes depreſſiora loca teneant. *Arx Regia* noſtræ Upſaliæ optimo ſitu fruitur; mane altum collem huncce ſerenus aër colluſtrat, cum ejusdem ſub radicibus tota urbs denſa exhalationum nebula ſubmergitur. *Creta* omni ævo in ſaluberrimis locis fuit habita. *Athenæ* ſereno, quo circumfunduntur, aëri, ipſiusque adeo cœli beneficio, debere haud dubie credebantur olim tot, qui eas nobilitarunt, doctos & ſolertiores cives. Inſulæ *S. Helenæ*, & *Bermudes*, ab omnibus fere liberæ exhalationibus, in numero maxime ſalubrium regionum merito ponuntur, & ægrotantes nautæ, in alterutram qui deſcendunt, niſi morbus longius ſit progreſſus, ſtatim curantur. Romani quondam Phthiſicos & Aſthmaticos ad *Stabias* prope *Veſuvium* ſiccum amandabant.

NEBULOSUS AËR, ſemper noxius, pluvia, aut vento, aut tonitru purgatur, at periculoſiſſimus idem, ſicubi admixta ſpurcities ſit quædam, uti fere eſt in urbibus, & calidiore ſub æſtate; quare opulentiores, quibus occaſio non deeſt, per aliquot hebdomadas, dum dies fervent caniculares, ex urbibus ſolent emigrare.

Peſtis, qua Cairo haud raro affligitur, poſt pluviam ceſſat, uti febres, ob eandem cauſſam per æſtatem, Amſtelodami. *Tonitrua* maxime aërem

rem emundant & omnia humida multa viciſſitudine afficiunt. Vina inde turbantur, aqua lacuum tepeſcit, corpora noſtra exæſtuant.

QUIESCENS AËR, tanquam aqua ſtagnans, fere putreſcit; ergo incolæ villarum, quæ denſis ſilvis circumdantur, vulgo minus hilares animo minusque incolumes valetudine cernuntur. Omnes *Lappones* Alpini, ſub aëre aperto, agiles alacresque vivunt; in denſis ſilvis qui habitant, timidi, triſtesque degunt. *Nautici* ad Indias proficiſcentes, dum vento fortiori aguntur, commode valent; ſed ſi acciderit, ut per aliquot hebdomadas tranquillitas maris teneat, multis contra morbis inde vexari occipiunt. In inſula *S. Thomæ*, ubi durante ſolſtitio brumali, venti per duos menſes quieſcunt, in morbos ſolent quam plurimi incidere. Immo in univerſum, ubi ventus movetur, incolæ ſanitate gaudent, haud fere aliter ac piſces in rapidis potiſſimum amnibus & fluminibus firmiores & ſapidiores fiunt; nam venti aërem movent, purgant, removent, diſſipant, verrunt. Salubrior itaque vita in apricis, venti enim ſiccant terram, ut lintea.



CLX.

CLX.

FRAGA VESCA

PRÆSIDE

D. D. CAR. v. LINNÉ

proposita

a

SVENONE ANDR. HEDIN

Smolando.

Upsaliæ 1772. *Maji* 26.

---

§. I.

Humi nascentia FRAGA occurrunt spontanea, non solum in Suecia nostra, inde ab Alpibus Lapponicis ad australia Scaniæ Campestria, sed & per totam Europam, per Asiam etiam, Africam & Americam crescunt. Adeoque *Fragaria* plantis annumeratur iis, quæ omnes quatuor mundi partes incolunt, uti *Portulaca*, *Vitis*, paucissimæque aliæ. Quod Naturæ hunc fructum ubique serere placuerit, neque sine Numine factum, quum eumdem forte præcipuo usui Generis Humani destinaverit.

§. I.I

§. II.

SENTICOSÆ conſtituunt Ordinem Naturalem XXXV. in Generibus Plant. D. Præſidis. Hic ordo ſequentia Genera ſub ſe comprehendit:

Alchemilla	*Tormentilla*	*Geum*
Aphanes	*Potentilla*	*Dryas*
Agrimonia	*Fragaria*	*Rubus*
Sibbaldia	*Comarum*	*Roſa.*

Radix his perennis, excepta Aphane, fibroſa.

Caulis plerisque annuus, exceptis Rubis quibusdam, & Roſis facile plerisque, quibus ſuffruticoſus; in nullis vero arboreus.

Folia omnibus alterna, petiolata, in foliatione plicata, plerisque compoſita, pubeſcentia. *Stipulæ* omnibus binæ.

Flores ſparſi, ex alis prodeuntes, plerumque pedunculati.

Fructus, qui ex Pericarpio, Semina includente, conſtare ſolet, in his, proprie dictus, certe nullus eſt.

Roſa vulgo dicitur Pericarpia ſeu Poma producere, ſed Pericarpio plane orbatur, & Calyx tubuloſus, collo coarctatus, fundo ſemina continens, demum ipſe, baccæ modo, matureſcit, coloratur, emolleſcit, ſolis laciniis arefactis.

Rubus, fructu ſuo ſingularis admodum eſt: Receptaculum enim ſeminum quaſi duplici epidermide obducitur, intra quam ſuccus & ſemina latent, adeoque decidit hæc *Bacca* concava inſtar pilei.

Agri-

Agrimoniæ fructus conſtat ſolo calyce hiſpido, veſtibus obambulantium & velleribus animalium adhærente, nec quæ vulgo Seminum nomine veniunt, alia ſunt quam Calyces.

Qualitate hujus Ordinis plantæ multum conveniunt. *Sapore* ſtyptico & ſicco ſunt omnes, radice quidem magis, quam caule, unde Radix Tormentillæ & Alchemillæ certat cum Biſtorta. *Odore* minus valent ipſæ Herbæ, pauciſſimæ tantum, uti Ulmaria, quæ fragrantes; odore grato Flores excellunt Roſæ; Fructibus Rubus arcticus & Fragaria veſca; Radicibus autem ſolum Geum.

CHARACTER botanicus pro hoc ordine combinando eſt

CALYX Perianthium monophyllum: laciniis duplicatis, exceptis Aphane, Rubo.

COROLLA polypetala regularis, exceptis Alchemilla & Aphane apetalis, Tormentilla tetrapetala, Dryade octopetala.

STAMINA Calyci (non Receptaculo) inſerta, circiter viginti, rarius plurima; at 4 Alchemillæ, Aphani; 5 Sibbaldiæ; 12 Agrimoniæ; multa Roſis.

PISTILLA plurima, *Stylis* ſolitariis; ſed 1 Alchemillæ, Aphani, 2 Agrimoniæ, 5 Sibbaldiæ.

PERICARPIUM nullum, quamvis Roſa Calyce mentiatur Pomum, & Rubus Epidermide Baccam.

SEMINA nuda, plurima, pro numero ſcilicet Piſtillorum; ſunt hæc ariſtata Geo; caudata hirſuta Dryadi.

§. III.

§. III.

FRAGARIA est Genus distinguendum a cohortibus Senticosis: Calyce 10-fido, Petalis 5, staminibus 20, Pistillis plurimis, Seminibus muticis, Receptaculo ovato, carnoso, deciduo.

Militat sub Classe Icosandriæ; Ordine Polygyniæ.

Essentialis nota, qua distinguitur, est Receptaculum carnosum deciduum. Comarum gaudet quidem Receptaculo carnoso, sed permanente.

SPECIES Fragariæ vix plures quam duæ, vere distinctæ, etiamnum innotuere.

Sterilis FRAGARIA caule decumbente, ramis floriferis laxis. *Syst. nat.* 2. *p.* 350. *Spec. pl.* 709. *n.* 3. distinguitur a sequenti facillime, quod nulla producat Flagella, quod Caules floriferi decumbentes sint, qui in sequente erecti; quod Flores solitarii, quod Petioli & Receptaculorum Peripheria valde lanata. Cum vero hujus fructus non esculentus sit, hancce intactam relinquo speciem.

Vesca FRAGARIA flagellis reptantibus. *Syst. nat.* 2. *p.* 349. *Spec. pl.* 1. *p.* 708. omnibus notissima, de qua acturus sum.

Chiloensis Fragaria, quam delineavit *Frezier itin.* *p.* 70. *Dill. elth. t.* 120. *f.* 146. *Mill. ic. t.* 288. Structura omnino convenit cum Fragaria vesca, sed differt insigni magnitudine totius herbæ, utpote quæ Caule semipedali est & Foliis proportione magnis & crassis, Baccis itidem magnitudine Pruni. Pluribus etiam quam quinque petalis instruitur, iisque non obcordatis sed integris. Hanc primus

mus *Frezier* circa civitatem Conception invenit, ejusque vivas radices secum attulit Parisios, & D. D. Iussiæo dedit. Inde in hortum pervenit Leidensem, inde in hortum Oxoniensem; indeque prolata in hortos plerosque Europæ, etiam in Upsaliensem. Hæc cum sola magnitudine, fructuque minus sapido, differat, vix specie a Fragaria vesca distingui potest. Inprimis cum flagellis similiter instruatur.

Muricata Fragaria a *Zanonio* propalata, at minus bene descripta, differt etiam magnitudine, sed inprimis fructu seminibus muricato, ut fructus vix deglutiri queat, nisi abrasis prius seminibus. Rarior hæc species paucisque nota, mera erit varietas Fragariæ vescæ, ex auctoritate D. *Halleri.*

Ceterum duæ insigniores varietates Fragariæ vescæ per Europam frequentes sunt: *Silvestris* (nobis *Smultron*). Crescit ubique in aridis, sylvaticis, apricis locis, & inprimis in sylvis cæduis, distincta fructibus lævibus, quibus inspersa sunt semina, magis fragrantibus. *Pratensis* (nobis *Jordgubbar*). Crescit in pratis humili gramine vestitis; differt inprimis fructibus adspersis punctis concavis, in quibus semina resident; minus fructibus fragrans est, sapore præcedenti accedit, & promiscue esculenta est, uti præcedens, minus licet frequens.

Monophylla Fragaria nuper detecta a D:no *Duchesne* & cum Horto Upsaliensi communicata, tota structura cum Fragaria vesca convenit; differt tamen insigni & maxime singulari nota, Foliis sc. simplicibus nec ternatis, ut nullus non eam pro distincta assumeret specie. Cum vero hæc primo sa-

folia radicalia non raro ternata producat, facile divinare licet, hanc a Fragaria veſca primum fuiſſe productam.

Varietates plures qui velit, adeat D:ni *Duchesne* monographiam *de Fragis*, ante aliquot annos Pariſiis editam, Gallice, 12:mo, qui pulcherrime has varietates pertractavit.

Colitur non raro Fragaria veſca in hortis noſtris oleraceis, tam *Sylveſtris* quam *Pratenſis* varietas, ubi mirum in modum luxuriat & multiplicatur flagellis ſuis copioſiſſimis, unde etiam magis ſterilis evadit, adeoque hortulani ſtudioſe flagella hæc decerpunt, & terram circum plantam ad radicem in acervum, talpæ ſimillimum, cumulant, ut fructus ferat copioſiores; minus tamen ſapidos & fragrantes fructus reportant, quam ex planta ſpontanea.

Flores ſpontaneæ plantæ deſtruuntur ſæpe gelu vernali, aut ſiccitate aëris, unde annonæ caritas hujus fructus ſæpiſſime ſequitur.

Fraga apud varios varia obtinent nomina:

Smolandis	*Jordbär*	Helſingis	*Snytterbär*
Daliis	*Jolebär*	Germanis	*Erdbeeren*
Bahuſiis	*Backbär*	Belgis	*Aardbezien*
Gotlandis	*Rödbär*	Gallis	*Fraiſes*
Wgothis	*Hättebär*	Anglis	*Strawberries*

Matureſcunt Fraga apud nos ſub finem Menſis Junii, & durant ad finem caniculæ; ſeu incipiunt, dum Pavo primas dimittit gemmantes pennas, & durant in maturitatem Ceraſorum. Vid. *Calend. Floræ*.

§. IV.

§. IV.

Baccis a plerisque annumeratur Fructus Fragariæ, qui tamen proprie bacca non est. Fructus Botanicis audiunt Pericarpia, quæ sunt vel *Sicca*, ut *Capsulæ*, *Siliquæ*, *Legumina*, *Folliculi*, *Strobili*; vel *Succulenta*, ut *Poma*, *Baccæ*, *Drupæ*. Ad neutra horum Fructus Fragariæ accedunt, sed mere sunt Receptacula Seminum, ab aliena scilicet parte Fructificationis. Sic *Mori* Fructus Bacca non est, sed tantum Calyx succulentus. *Rosæ* Fructus Pericarpium non constituit, sed mere est Calyx coarctatus, coloratus & carnosus. *Ficus* Fructus constat Receptaculo coarctato, ventricoso, succulento, ideoque non ex Pericarpio. *Humuli* Strobilus fit ex meris squamis calycinis in alam productis. Hæc qui non intelligit, in consideratione Sexus plantarum facillime errare potest, & illi paradoxon videbitur, Fructum absque Mare & prægressa fœcundatione prodire. Similiter Fructus *Anacardii* videtur Drupa, cui Nux insidet supra & extra Pericarpium; sed in eo fructus carnosus non est nisi Receptaculum carnosum grandefactum. Similiter etiam cum fructu Fragariæ comparatum est, qui a receptaculo solo perficitur succulento, per maturitatem colorato & e suo calyce deciduo.

§. V.

Pharmacopolia e Fragaria nostra asservant *Herbam*, *Fructum*, *Syrupum*, *Aquam*, *Spiritum*, *Acetum*, quæ tamen omnia ab hodiernis Medicis, in sanandis morbis, rarissime præscribuntur. Aqua sola, rarius licet, pro cosmetico adhibetur, inprimis ad maculas faciei & varos depellendos, aut etiam in lippitudine; sed neque in his multum præstat. Fructus autem avide ingurgitantur non

modo a pueris, fructuum plerorumque avidissimis, sed etiam tam a plebejis quam a nobilibus in deliciis habentur. Baccæ vel per se adhibentur, vel cremore lactis aut vino perfusæ, vel saccharo adspersæ, vel & saccharo cum vino, aut lacte cum saccharo mixtæ. Quovis modo sumtæ vix umquam nocent, neque enim, ut alii fructus, acidum spontaneum generant, neque Diarrhœam, Colicam, Choleram, Febrem aut Catarrhum excitant, ut varii Auctores hoc vitium ipsis tribuunt. Alvum lenissime solvunt, si ab initio nimia copia & antequam ventriculus iis adsueverit, assumuntur, levissime & vix manifeste diureticæ sunt; acescentes mitissimæ, adeoque parum refrigerantes, nec copia aut excessu, quantum vidimus umquam, nocuerunt.

Occurrunt interdum constitutiones quædam admodum singulares, quæ, nescio qua antipathia, Fraga perferre nequeunt, licet ipsis sapiant; verum unica alterave comesta bacca, in deliquium incidunt, & toto corpore maculis efflorescunt petechialibus. Exempla vidimus in Illustri Mathematico, Generos. Consiliario Status Klingenstierna, & Uxore Assessoris Coll. Med. D. D. Moræi, paucissimisque aliis.

At vero inde non concludere magis licet, quam ab iis, qui commorari nequeunt in domo, ubi Felis se insinuavit.

§. VI.

Diatheses generantur in corpore humano plurium morborum & mortis caussæ proximæ, ut *Acida*, *Alcalina*, *Salina*, *Scorbutica*, *Syphilitica*, *Scrophulosa*, *Tartarea*, &c. In his debellandis omnes Medici sunt & fuerunt inprimis attenti; utinam

nam in his plura innotefcerent medicamina, uti contra Acidum *China*, contra Syphiliticum *Hydrargyrum*, contra Scorbuticum *Plantæ Tetradynamicæ*.

Calculus, *Sabulum* & *Tartarus*, omnesque Lapides in animalium corporibus producti ejusdem funt naturæ, & ex profapie Calcaria. *Calx* folubilis Acido, eodem faturata Gypfum evadit, acido ulterius non folubile. Ex variis acefcentibus & falfis ingeftis, oriuntur plurima concreta lapidea in corpore gypfeæ naturæ, adeoque non folubilia ulterius acidis, ejusmodi certe, quæ ea copia affumi poffunt, ut per totam fanguinis maffam diffundantur. Ad hæc concreta pertinent *Calculus urinarius*, *Materia Podagrica*, ex nodis Podagricorum manifefta, *Tartarus dentium* &c. Hæc ex impuris & ftagnantibus concrefcunt humoribus, inprimis fub otio & quiete, dum falibus cryftallifantur particulæ terreftres in ejusmodi Tophos. Hinc Aquæ potatores, qui lympham diluunt & fanguinem quafi lavant, vifcidas auferendo particulas, his minus obnoxii; hinc qui otiofi aut morbis diutius lecto detenti, Calculum incurrunt; hinc qui copiofe vina acida ingurgitant, ob fal in vino contentum, fæpius Arthritici. Omnis Medicorum fpes contra Calculos & affines, hoc noftro quo vivimus tempore, pofita eft in pilulis lithontripticis Dnæ Stephens, ex calce & fale alcalino confectis, quas averfatur gula & ventriculus, quibus læditur digeftio; quibusque maffa fanguinea diathefi falina fcorbutica inficitur, ut non raro, præ Scelotyrbe, dentes ex alveolis cadere faciat, ne loquar appetitum ciborum & dofin enormem cum faftidio ægroti. Taceo reliqua lithontriptica varia, quæ fefellere Magiftrum. Hoc tantum dicam, quicumque ejusmodi jactitat lithontriptica,

triptica, ſi non ſimul tartarum dentium tollant, ubi immediate agere poſſunt, fallit certe & fallitur eorum auctor. Lithontriptica ſua jactent alii, nobis unicum tantum, quod materiam ſolvit tartaream, notum eſt, quodque eſt ſuccus Fragorum. Fraga majori copia aſſumi poſſunt, quam ulli alii fructus aceſcentes, & quidem absque ulla noxa.

Hæ Baccæ, magna copia ingeſtæ, nudæ & quaſi decorticatæ, facile exprimuntur per vias chylopœeticas, ut ſuccus ex his ſic expreſſus, abundantior cum maſſa ſanguinea poſſit miſceri, viresque ſuas per omnia vaſa totius corporis ſimul exſerere; diluere ſcilicet impura, ſolvere ſabuloſa, & parum ſub Sirio, quo prodeunt, ardente refrigerare.

Quicumque itaque Fraga copioſius aſſumit, & quotidie bis continuat, quamdiu eorum meſſis durat, magis maſſam ſuam purificabit ſanguineam, quam ullo fonte ſoterio aut aqua minerali; qui ſimul laborat dentibus ſcorbuticis, viſcidis, fœtidis, & quod probe obſervandum *tartaro* obductis, intra quatuordecim dies eos depurgatos videbit, tartaro omni ablato.

Diæta ſimul obſervanda erit, ut facilius & promtius opus ſuum hoc medicamen perficiat; quæ in parciori eſu Carnium, & Lardi præſertim durioris, conſiſtit, in abſtinendo item ab Acidis, præcipue Vinis; neque aliud vitandum novimus.

Podagræ ſeu *Arthritidi* nullum remedium huic æquiparandum novimus, ſi æger, quamdiu Fraga proveniunt, ex his conſumit, quantum partitis vicibus, quovis die ter vel quater, ingurgitare poterit, a minore incipiendo copia, & inprimis cum

cum fraga adhuc nondum perfecte maturuerint, magisque acescentia sunt, indies majori quantitate hæc edendo continuans, donec ventriculus ipsis magis adsueverit. Hac certe levi cura, tuto, cito & jucunde multi apud nos, quos novi, a diro hoc curati fuerunt morbo.

§. VII.

Inventum hoc Generosiss. Dn. PRÆSIDI debetur, cui ansam Podagra suppeditavit enormis, quæ ipsum anno 1750 adgrediebatur. Circa finem Junii insultum incurrebat podagricum tam enormem, ut per quatuordecim dies nec cibum nec somnum capere posset, & nequidem præ dolore per duo minuta pedes in quiete tenere. Digitorum pedis articuli rubescebant, nodis intumescebant, & cetera more solito. Materia podagrica ex uno pede in alterum, in manus, reliquosque iterum articulos migrabat. Tandem fere moribundo patella fragis impleta offerebatur, quæ sola gulæ placebant; & ex horum esu, primo post quatuordecim dies, per aliquot horas obdormivit. Evigilans plura petiit fraga, & circiter orbiculum his refertum consumsit; iterum a media nocte in tempus matutinum obdormiens, absque omni doloris sensu evigilabat, lectumque reliquit, verum a morbo admodum debilis. Una sic dosis plus, in vacuo per quatuordecim dies ventriculo & corpore, effecit, quam alioquin plures.

Insequente anno 1751, Podagra eodem tempore revertebatur, vix ut atrium Regium Drottningholmiæ, ubi tum erat, facie pallida & cachectica adscendere posset. Sciscitanti Serenissimæ Reginæ, jam Viduæ, quid ipsum deficeret? Fraga respondit, quæ obtinere non posset. Mitissima Regina

ipſi integram patinam adferri juſſit, qua circa veſperam vacuefacta, agilis, proxima hora matutina, atrium adſcendebat.

Tertio inſuper anno eodemque tempore, denuo Podagra, ſed longe mitior, rediit, fragis iterum debellata. Quarto quintoque anno, ſolito tempore, vix tamen manifeſte, inſultus ſenſit, mox eodem ſuperatos modo, a quibus jam per viginti fere annos immunis vixit. Ab eo inde tempore, modo dicto, Fraga quavis æſtate conſumſit, quæ maſſam ſanguineam mundificarunt, pondus corporis ſublevarunt, faciemque floridiorem reddiderunt, ut plus ſe iisdem debere aſſeveret, quam alii aquis mineralibus.

Medicinam hanc præſtantiſſimam, ab eo edocti, ſummo cum effectu, plurimi adhibuerunt, unde etiam pretium fragorum heic Upſaliæ octuplum, vel ad minimum ſextuplum evaſit, ut ſæpe vix ullo pretio hæ baccæ obtineantur, ea copia, quæ a variis deſideratur.

Uſus horum in morbis arthriticis dein multum invaluit. Sed nullum etiamnum novimus, qui hunc in *Calculo* tentavit; nulli tamen dubitamus, quin eumdem effectum etiam in eo præſtent, quum Calculus eadem conſtet materia, qua Tartarus in Tophis podagricis. Qui vero Fraga pro ſcopo Calculi urinæ aſſumere volunt, diligenter obſervabunt, quod calculus communiter viſcido veſtitus in Renibus includatur aut Veſica, quodque hic Fragorum ſuccus, dum ſolvit viſcidum Calculi Corticem, ut nudus jaceat, magis debeat irritare ab initio fibras nerveas, usque dum exterior ejus ſcabra ſubſtantia ſolvi incipiat; adeoque non terrefactus deſiſtat, nec,

quod

quod ideo fraga in hoc morbo magis noxia ſint, quam ſalubria, credat.

Phthiſin curatam Fragis large comeſtis C. Hoffmannus meminit; in Phthiſi certe calculoſa juvare debent.

Leucorrhœam Fragorum eſu ſublatam fuiſſe, obſervat Rajus.

Non qui multa, ſed qui utilia, ſcit, ille ſapit.





CLXI.

OBSERVATIONES IN MATERIAM MEDICAM

QUAS

PRÆSIDE

D. D. CAR. V. LINNÉ

PRO GRADU DOCTORIS

proposuit

JOHANNES LINDWALL

Smolandus.

Upsaliæ 1771. Junii 5.

MEDICINÆ duo præcipua objecta sunt, Morbi & Medicamenta. In morbos adcuratius cognoscendos Medici non tantum prisci, sed etiam recentioris ævi singulari studio incubuerunt, & cuncta, quæ PATHOLOGIÆ illustrandæ inservire potuerint, conquisiverunt subsidia; unde ANATOMIA, cui PHYSIOLOGIA innititur, ad summum fere fastigium est evecta. SEMIOLOGIAM etiam exactiori opera Observatores pervestigarunt; unde concinna atque elegantissima jam ostentare possunt systemata.

Historia

Historia autem Medicamentorum nimiùm fuit neglecta. Officinalia nostra fere eadem sunt, quæ tempore DIOSCORIDIS erant in usu. Media ætas his fuit contenta, præter nonnulla, quæ a Nationibus Barbaris colligi subinde potuerunt. Nostris primum temporibus illa luculentius pertractari cœpit; plurimumque huic lucis addiderunt GEN. DOM. PRÆSES & DOM. GEOFFROY. Quædam autem adhuc restant Medicamenta, e Regno Vegetabili deprompta, de quibus ad hodiernum usque diem, ex quanam desumantur herba, ignoratur. Immo recentissimis nostris temporibus varia introducta sunt, quæ mirum præstitisse effectum peritissimi in India observarunt Botanici, sed quæ Medici recentiores alto, uti dicitur, supercilio prætermiserunt. Multa etiam novis experimentis jam sunt adsumta, postquam communem Medicina vicit errorem, res nempe venenatas *) Medicis fugiendas; cum ex his præstantissima Medicamenta desumantur. Tam multa simplicia officinalia latuisse Medicos in nostra usque tempora, indicat eorum segnitiem in inquirendo horum Matrices, quasi minus necessarias; cum tamen *Ordinem Naturalem* eorum cognoscere summopere sit necessarium. Hinc factum est, ut nemo vires Corticis CHINÆ accurate intelligeret, antequam ad *Contortas* eum pertinere constitit; Nec vires OPOBALSAMI, priusquam illud ad AMYRIDES tuto referri potuit. Hæc vero neglectui forte Botanices debentur, siquidem hanc Medici sibi minus necessariam duxerunt, qualis etiam præterlapsis seculis haberi potuit, quippe nondum in formam artis redacta.

*) vide G. D. Præsid. Mat. Med. Canon. 16. & 17.

Quo itaque pars salutaris scientiæ in Medicamentis tractandis occupata evadat tutior, 1:o Officinalia, quæ in publicis GEN. DOM. PRÆSIDIS in Materiam Medicam prælectionibus, ob singularem quampiam efficaciam fuere notata, in præsenti hac dissertatiuncula b. c. D. recensere, & Nominibus G. D. PRÆSIDIS Genericis ac Trivialibus determinare constitui: perinde atque alii Medici, ante hac in Anglia, jamque Viennæ fecerunt. Ubi enim ejusmodi adsunt nomina ad adcuratiorem tum Herbarum, tum Synonymorum apud Auctores, tum cujusque Plantæ cognitionem nos perducunt. 2:o Incognita & dubia, quorum notitiam magna sectari cura Medici debent, ut usum eorundem adcuratius, quam huc usque, dijudicare queant. Iisdem vero insigniuntur Numeris, quibus in Materia Medica GEN. D. PRÆSIDIS sunt notata.

§. I.

COLLINSONIA canadensis. *Incolæ Americæ septentrionalis per infusum radicis Colicam puerperarum compescunt*, teste Barthramio in append. p. 2.

ANAGALLIS arvensis. *Herba in Rabie canina & Epilepsia commendatur; sed insipida & inodora.*

SPIGELIA Anthelmia. *Decoctum sive pulvis primarium est Anthelminthicum.* D. BROWN in Hist. Nat. Jam. Amœn. Acad. G. D. PRÆS. Tom. 5. p. 113. tab. 2.

LONICERA Symphoricarpos. *Adversus Febres Intermittentes tutum, certum & minime fallax medicamentum.* Clayton.

CEANOTHUS Americanus. *Decoctum in Syphilitide commendatur* a Colden.

PLU-

PLUMERIA alba. *Decoctum radicis recentis ab Americanis adhibetur tamquam specificum in Syphilitide.* Jacquin.

ERYNGIUM fœtidum. Fœtidiſſima herba; infuſum *contra Febres Ardentes & Hyſteriam divina eſt medicina apud Surinamenſes.* D. Dahlberg.

CONIUM maculatum. *Herba, Extractum, contra Scirrhos, Strumas aliosque morbos a Medicis Viennenſibus laudatur. Nonne CICUTA* viroſa, *refracta doſi, melior? CONIUM enim odorem minus tetrum ſpargit.*

HERACLEUM Sphondylium. *Decoctum herbæ a Scanis cum ſucceſſu in Dyſenteria propinatur; nos integram Nationem tuto ſequimur.* It. Scan. G. D. PRÆS. p. 266.

BROMELIA Ananas. *Cortex fructus exterior fertur ſummum emmenagogum, quamquam fructus fragrantiſſimus gratiſſimusque omnium & excorticatus in ſummis deliciis editur.*

ACHRAS Sapota. *Unde ſemina Sappatillæ; a ℨj ad ℨij contra Colicam Nephriticam inſerviunt.* van der Monde Diar. 198.

COLCHICUM autumnale. *Radix purgans draſticum, quod necat Vitulos.* vid. Scopol. *Amuletum Peſtis.* Wedelii Diſſert. de Colchico veneno & alexipharmaco 1718, & Haſſenii in Act. Norib. 1736. *Bulbi contuſi & impoſiti tollunt Mariſcas. Oxymel Colchici contra Hydropem laudatur,* teſte D. D. Hidén p. m. Medico Norcop.

PARIS quadrifolia. *Baccæ pulveriſatæ euporiſton in Pleuritide; ſuccus earum expreſſus in Ophthalmia tutus.* Friccius.

LAU-

LAURUS Culilawan. *Cortex odore Caryophyl. aromat., sapore mucilaginoso, subadstringente, a Burmanno non ita pridem e Philippinis introductus, contra languentem ventriculum post Colicam & Diarrhœas roborandum. OLEUM carminativum, roborans, stomachicum & antiparalyticum.*

SOPHORA heptaphylla. *Specificum in Cholera, Pleuritide, Colica & Dysuria.* Rumph. Amb. 4. tab. 22.

CASSIA alata. *Folia contrita cum aliquot guttis Limonii est proficuum contra Herpetem*, teste Rumph. Amb. & Brown Hist. Nat. Jamaic.

SWITENIA Mahagoni, *unde lignum Mahagoni, cujus usus est Mechanicus.*

QUASSIA amara. *vide* Amœnit. Acad. tom. 6. p. 421.

PYROLA umbellata. *Decoctum interne in Ischiadico dolore.* D. D. Zetzel. Ass. R. Coll. Med.

PYROLA uniflora. *Folia masticata sive infusum impositum in Lipitudine & Ophthalmia eximium est remedium apud Norrlandos & Norvegos.*

GYPSOPHILA Struthium. *Radix saponacea, qua veteres loco saponis in purgandis vestimentis utebantur, eodem scopo etiam hodie ab Hispanis adhibetur. Eam itaque præstantissimam judico contra generationem Calculi, quæ fit ex viscido; est enim procul dubio summum Medicamentum mundificans.*

PHYTOLACCA decandra. *Succus radicis, præsertim tempore autumnali expressus, Carcinomati aperto instillatus, experientia Italorum & Anglicorum, usurpatur.*

LY-

LYTHRUM Salicaria. *Commendatur a* de Haen *in Diarrhœis antiquis & chronicis.*

ACONITUM Napellus. Herba, Extractum *a* gr ß *ad* j. *a* D. Störkio *in Febribus intermittentibus, Ischiade, Rheumatismo & aliis morbis præscribitur; sed* Extractum *caute adhibendum, cum tota planta venenatissima sit, ut videmus* in Act. Holm. Anno 1739. p. 41.

CLEMATIS erecta. *Pulvis extus, infusum intus a* Störkio *contra Ulcera Cancrosa e Syphilitide porrigitur.*

HELLEBORUS fœtidus. *Pulvis foliorum contra Vermes* D. Arch. BÆCK. Reg. Coll. Med. Præs.

MENTHAM auricularium HEDYOTIDI Auriculariæ G. *D. PRÆSIDIS Mat. Med. p.* 16. *præfert contra Cophosin* Hermannus.

LEPIDIUM Iberis. *Infusum herbæ cum cortice Chinæ ante accessum Febrium intermittentium apud Hispanos usitatissimum est Medicamentum; qui præterea succum hujus expressum contra easdem Febres esse specificum contendunt.*

CARDAMINE pratensis. *Flores ad* ʒ½ *a D.* Backer *in Ecclampsia laudatur.*

CLEOME gigantea. *Herba odore fœtido CIMICIFUGAM superat, sapore ita acri, ut vix sine vomitu masticari possit; unde ad vires ejus heroicas concludere licet.*

MELALEUCA Leucadendron. *Unde OLEUM Cajeput, quod Hollandi nuperrime ut antispasmodicum & emmenagogum introduxerunt. In Odontalgia a dentibus cariosis, & externe in Hæmorrhoidibus cæcis usurpatur; sed præcipue laudatur in Morbis Paralyticis.*

AR-

ARTEMISIA campeſtris. *Semina a Gallis ut eximia in Pleuritide, teſte D.* Bergſtral Aſſ. R. Coll. *M. adhibentur; contra Vermes ſeminibus Cinæ facile palmam præripiunt.*

INULA dyſenterica. *CONYZA vulgo dicta. Decoctum herbæ ut ſpecificum contra Dyſenteriam in expeditione Ruſſorum contra Turcas; dudum a M.* Hoffmanno *proclamatum.*

CENTAUREA Calcitrapa. *Quid in Febribus Intermittentibus valeat,* vide Seguierum 2. p. 154. Lieutaud. p. 707. *Agno Paſchali Judæi veſcebantur cum condimento, quod* Hebraice *Merorim*, Græce πικρις, *in Bibliis Svecicis Bitter Salſo vocatur*, Exod. 12, 8. Latine *minus recte* Cichorium *vertitur; quæ herba amara non eſt. Hoc vero vulgo perperam LEPIDIUM* latifolium *fuiſſe credebatur, usque dum* D. Prof. Forſkâhl *ex Arabibus edoceretur, hanc CALCITRAPAM etiamnum apud eos hoc ſcopo in uſu eſſe.*

LOBELIA ſyphilitica. *Lacteſcens, acris, nauſeoſa, unde in majori doſi purgans ſive emetica eſt. Herba in forma infuſi teſte* Rev. Th. D. KALMIO *ab Americanis ſeptentrionalibus in Syphilitide adhibetur. LOBELIA* longiflora *fortior; ſed cum hac caute mercandum, quum folia haud multa equum occidant.*

STILLINGIA ſylvatica. *Flores ſimiliter Syphiliticis proſunt.* D. D. GARDENIUS. G. D. PRÆS. Mant. 1. p. 126.

CECROPIA peltata. Gummi Elaſticum, *quantum a deſcriptione* D. CONDAMINI in Act. Pariſ. 1751. *concludere licet, ex ſucco hujus deſumitur* *).

CI-

*) Eſt Succus inſpiſſatus Jatrophæ? elaſticæ *Linn. Suppl. pl.* 422.

CIMICIFUGA fœtida. *Teterrima planta, & primaria quæ Strumas repellit, quod vidi in Nosocomio. De cætero in nervinis morbis præstans: si autem ex odore tetro & sapore amaro conjectare licet, in Medicina olim magnas hanc habituram utilitates, nullus dubito.*

LICHEN Roccella. *Qualitas tinctoria rubra, ad vina adulteranda colore vini Gallici rubri.*

§. II.
INCOGNITA & DUBIA.

3. *Semina GRANA PARADISI alii* Amomi, *alii* Myrti *species statuunt.*

4. *Radix COSTI* dulc. & Arab. *etiam minus certa.*

6. *Radix GALANGÆ* Maj. & Min. *non erit KÆMPFERIÆ, sed forte MARANTÆ* Galangæ. Rumph.

26. *Radix HERMODACTYLI. Magnus olim Botanicus* Tournefort, *qui plagas Orientales ipsemet peragravit, hujus matrem esse IRIDEM tuberosam; sed Recentiores, ut* Millerus *& alii, volunt esse COLCHICUM* illyricum, *idem confirmante Forsskåhlio.*

37. *Radix GRAMINIS apud nos ubique desumitur a TRITICO* repente: *at in Italia ex PANICO* dactylo, teste Seguierio.

42. Fructus *ANACARDII ORIENTALIS.* Dillenius eum *credit a specie AVICENNIÆ desumi: sed D. Jacquin hoc negat.*

76. *Radix*

42. Est Fr. Semecarpi Anacardii *Linn. Suppl.* 182.

76. Radix *JALAPPÆ. Acutissimus Botanicus* Plumier, *qui ter Americam adiit, statuit esse MIRABILEM odoram: Recentiores vero, ut D.* Sloane *&* Millerus, *CONVOLVULUM* Jalappam. *Vid.* G. D. PRÆSIDIS Mant. 1. p. 43. *Immo D.* Millerus, qui *radices JALAPPÆ per Houstonum ex America reportavit & Pharmacopolis Londinensibus vendidit, habuit radices CONVOLVULI bujus, quæ omnibus numeris veræ Officinali respondebant.*

152. Resina *COPAL. An species SUCCINI? aut præparatum ex alia Resina. A specie arboris RHOIS sumi credita, sed frustra.*

247. *Lignum RHODIUM nondum certum est, an desumatur e GENISTA* canariensi.

204. Lignum *BRASILIANUM RUBRUM an CÆSALPINA* vesicaria?

463 *Resina TACAMAHACA.* D. Trevius *negat esse POPULUM* balsamiferam; Jacquinus *asserit esse FAGARAM* octandram.

504. Lignum *EBENI desumitur ex UVARIA, quæ Arbor nigra.* Rumph. Amb. Vol. 3. p. 15. tab. 5.

505. *Fructus MYROBALANI INDÆ ab ignoti generis arbore PANEL ortus creditur.* Hort. Malab. 2. tab. 9.

506. Fructus *MYROBALINI BELLIRICÆ. Varii statuunt a TANI* Hort. Malab. 4. tab. 10. *Alii ab IDOU-MULLI.* Hort. Malab. tab. 18.

507.

---

247. An e Convolvulo scopario *Linn. Suppl.* 135?
504. Vera Ebenus est Diospyros Ebenus *Linn. Suppl.* 440.

507. Fructus *MYROBALANI CHEBULÆ. Leguntur ab AGIHALLID* Alp. Ægypt. tab. 39.

508. Fructus *MYROBALANI CITRINÆ.* Pluck. Mant. 132.

Obs. At D. Adanson dicit MYROBALANOS has quatuor ex eadem arbore PANEL Malabarorum, sed dispari anni tempore, desumtas esse, si fides Auctori perfido adhibenda.

509. Nux *MOSCHATA. Flores feminei semel a G. D. PRÆSIDE visi sunt, sed nunquam masculini; ergo generis character nondum potuit stabiliri.*

514. *BALSAMUM PERUVIANUM.*

516. Resina *AMMONIACI, an PASTINACIÆ species?*

517. Resina *CARANNÆ.*

518. Resina *ELEMI, an a BURSERA?*

519. Gummi-resina *MYRRHÆ.*

520. Gummi-resina *BDELLII.* D. Hermannus in Lapid. Lyd. 15. *judicat puritate tantum a MYRRHA differre, & addit BDELLIUM confici ex decocto fructuum quorundam inspissato. Alii vero a Palma BDELLIFERA, in Arabia felici nascente, deducunt.*

521. Gummi-resina *SAGAPENI, an FERULÆ species?*

524. Lignum *ASPALATHI.*

525.

---

509. Hoc factum est in *Linn. Suppl.* 40. rectius vero a Cel. *Thunbergio in act. Holm.* 1782.

514. Myroxylon Peruifera. *Linn. Suppl.* 233.

525. Lignum *FERNAMBUCI.*

526. Fructus *CUBEBÆ. Quod sit PIPERIS species evidentissimum ex* Itin. Meisteri 118, *ubi figuram dedit, sed speciem non descripsit.*

535. Cortex *SIMAROUBÆ est forte BURSERA?*

Faba *IGNATII est CUCURBITA Malabatri foliis scandens.* Pluckn. Mant. 60. *)

Faba *PECURIM Medicamentum in fluxu alvino usitatum, sine dubio species LAURI.*

GUMMI *LACCÆ colligitur circa ramulos siccos ab Insectis, sed quibus?* †) *e CROTONE* Laccifero *lactescente decerpunt hæc Insecta succum & LACCAM suam inde conficiunt, teste* Hermanno.

---

526. Piper Cubeba. *Linn. Suppl.* 90.



535. Quassia Simaruba. *ib.* 234.

*) Ignatia amara *ibid.* 149.

†) A Cocco Laccæ, in Ficu religiosa & indica, item in Rhamno Jujuba habitante. *Kerr* in *act. angl. vol.* 71. *p.* 2. *Annot. Edit.*



CLXII.

CLXII.

PLANTA CIMICIFUGA

QUAM

PRÆSIDE

D. D. CAR. V. LINNÉ

PRO GRADU DOCTORIS

proposuit

IOHANNES HORNBORG

Petropolitanus.

Upsaliæ 1774. Sept.

Cum apud me constituissem, specimen quoddam academicum, more solito, edere, inque rimandis & examinandis medicamentis & morbis versarer, vastissimus mihi campus rerum sese obtulit, ut nescirem omnino quam materiam pertractandam eligerem. Vidi plurimas jam sæpius pertractatas, ut idem esset illas proponere, ac crambem vel centies coctam recoquere. Alias deprehendi tam obscuras, ut maxima & exercitatissima ingenia requirant, si perspicue & sufficienter explicentur. Mihi vero ita deliberanti in memoriam venit Herba illa CIMICIFUGA, *de qua multi multa & eximia sperant, si accuratius Medicis cognita evadat. Non ingratum* ergo

ergo fore ſperavi, ſi ejus pleniorem deſcriptionem hocce ſpecimine Academico exhiberem, præſertim quum huc usque vix ab aliquo plene ſit delineata. Tuum vero L. B. eſt, conatus meos juveniles æqui bonique conſulere.

§. I.

NOMEN.

Cimicifuga hæc creſcit in *Sibiria*, & primum ibi inventa eſt a *Meſſerſchmidio*, Botanico Germano, qui mittebatur ab Imperatore *Petro I. Magno* in *Sibiriam* ad detegendas Plantas ibi occurrentes. Aſt obiit ſub itinere, opusque ejus nondum publicam adſpexit lucem; manuſcriptum autem (ut videre licet e ſcriptis GMELINI) hodie adhuc in Academia Petropolitana ſervatur.

Poſt longum temporis ſpatium Profeſſor Petropolitanus AMMAN orbi erudito illam communicavit ſub *Thalictroidis* nomine, quia ſimilitudinem habet, quoad faciem externam, cum *Thalictris*, atque aliquo modo quoad Affinitatem Claſſicam propius illis accedit.

Tandem NOBILISS. D. PRÆSIDI quædam ſpecimina ſicca miſſa ſunt e *Sibiria*, ex quibus Ei videbatur illam ſimilem eſſe *Actææ racemoſæ*, quoad folia, magnitudinem, Calycem, Corollam deciduam, Stamina numeroſa, totamque herbam, & ideo referri illam poſſe putabat ad idem genus cum *Actæa racemoſa*. Cum autem poſtea Semina accepit, quæ ſerebantur in Horto Academico, ibique florebant fructumque ferebant, tum Ei nobisque occaſio data eſt, melius herbam examinandi, & obſervavimus illam non eſſe ejusdem generis cum

cum antea nominata *Actæa*, sed tamen ei generi proximam, & præcipue ab illo genere differre Corollis Nectariferis & Germinibus pluribus; quamobrem in ultimis *Systematis Naturæ* editionibus & *Speciebus*, novum constituit Genus, cum charactere suo, cui generi hocce nomen imposuit.

§. II. CLASSES.

Ad quas classes *Cimicifuga* amandari debeat, ex sequentibus constabit.

CÆSALPINI 14. *Herbaceæ*, pluribus, folliculis.

MORISONI 15. *Multisiliquæ*. Ord. 1.

RAJI *Multisiliquæ*. Ord. 2.

HERMANNI 15. *Multicapsulares*, *univalves*. I. Multisiliquæ.

BOERHAAVII 21. *Multisiliquæ*. Ord. 2.

RIVINI 4. *Regulares* tetrapetali. Ord. 8.

TOURNEFORTII *Rosaceæ* Ord. 6.

LINNÆI 13. *Polyandria*, Trigynia.

Ord. Nat. MULTISILIQUÆ XXVI, & quidem in affinitate proxima cum *Delphinio*, *Aquilegia*, *Helleboro*, *Actæa* &c.

§. III. GENUS.

NOBILISS. D. PRÆSES primum generis distinctum & naturalem tradidit CHARACTEREM (in ultima 13. Editione) *System. Nat. tom.* 2. *p.* 420. qui ita se habet.

 CALYX

CALYX *Perianthium* foliolis 5, ſubrotundis, concavis, caducis.

COROLLA *Petala* 4, urceolata, margine affixa, æqualia magnitudini calycis, caduca. *Nectarium* petaliforme, infimum, cartilagineum, perſiſtens.

STAMINA. *Filamenta* 20, filiformia. *Antheræ* didymæ.

PISTILLA. *Germina* 4-2. *Styli* recurvati. *Stigmata* ſtylo longitudinalia.

PERICARPIUM *Capſulæ* 4, oblongæ, ſutura dorſali dehiſcentes.

SEMINA plurima, veſtita ſquamis patentibus.

Obſ. Variat omnium maxime numero Calycis, Corollæ, Piſtillorumque; neque ſexus conſtans, nec proportio.

§. IV. SYNONYMA.

Thalictroides fœtidiſſimum chriſtophorianæ facie. *Amman. ruth.* 76. *n.* 102. (*cum deſcriptione absque figura.*)

Cimicifuga. *Amœnit. Acad.* 2. *p.* 354.

Actæa racemis paniculatis, fructibus quadricapſularibus. *Spec. plant. p.* 722.

In Amœnit. Acad. tom. 7. *pag.* 436. D. APHONIN figuram adpoſuit ſecundum ſpecimen ſiccum, & *pag.* 462. a D:o KARAMYSCHEV breviter nominata eſt.

Ultimo a D:o GMELINO *in Flora Sibirica tom.* 4. *pag.* 181. *tab.* 70. deſcripta & depicta *Cimicifuga.*

§. V.

§. V. DESCRIPTIO.

Defcriptionem *Cimicifugæ* noftræ fequentem in modum adornamus.

RADIX fibrofa, perennis, fimulque nodofa, cirrhis transverfis parum repens.

CAULIS herbaceus, erectus teretiufculus, obfolete inæqualiter fubangulatus, fcabriufculus, orgyalis, fimplex.

FOLIA caulina 3-4, alterna, petiolata, decompofito-pinnata, quinata. *Folia partialia* bijuga ex foliis partialibus bijugis cum impari: partialia hæc pinnata, infima trijuga cum impari, proxima bijuga cum impari, impar etiam bijugum cum impari. Horum unum ad bafin caulis; fecundum in ejus medio; fummum ad ramulum florentem infimum.

Pinnæ f. Foliola propria fcabriufcula, multum acuminata, incifa, ferrataque; extima paulo majora, fublobata, feffilia, exceptis infimis.

Petiolus teretiufculus, canaliculatus.

Obf. Adeoque folia dividuntur more plantarum umbelliferarum; folia etiam fumma minus compofita funt & fæpe ternata.

STIPULÆ nullæ.

RACEMI alterni, in fummitate caulis, fubpedunculati, digitales, fimpliciffimi, fubrecurvati (more Veratri).

FLORES pedicellis breviffimis adfcendentibus.

CALYX. *Perianthium* foliolis 4. f. 5, fubrotundis, concavis, deciduis.

COROLLA. *Petala* 4, flava, urceolata, æqualia, margine receptaculo affixa, vix calyce majora, decidua.

Nectarium petalis fimillimum, infimum petalorum, fubcartilagineum, permanens (nec caducum ut petala).

STAMINA *Filamenta* plurima (circiter 20), filiformia, tandem nectariis longiora. *Antheræ* ovatæ, didymæ, erectæ.

PISTILLA *Germina* 4 - 2. oblonga, pubefcentia. *Styli* breviffimi, recurvi. *Stigmata* ftylo longitudinalia.

PERICARPIUM. *Capfulæ* 4, oblongæ, futura longitudinali fuperne dehifcentes.

SEMINA plurima, fquamis erectis undique veftita, modo certe fingulari & proprio.

Vix ulla herba reperitur magis varians, quam hæc, nam aliæ dantur quæ poffident 2, 3, vel 4 *Germina* conftantia in eodem individuo; aliæ pluribus conftant *Nectariis*, aliæ uno l. duobus. Aliæ iterum funt folum mares, cum rudimentis germinum.

§. VI. HISTORICA.

Nihil, ut omittam, memorabo, quid Auctores noftri AMMAN & GMELIN, hac de herba narrent.

AMMANNUS *pag.* 76. *Mefferfchmidius* hanc jam ante decennium collegerat; Plantæ titulus erat, in



Regnér del.

in Xenio ſcilicet Iſid. Sibiricæ: *Vanutſcha Sibirica, cimicifuga, fœtida, chriſtophorianæ foliis, floribus in thyrſo ſtamineis, luteolis, ſemine in corniculis villoſo ruſo.* In ejusdem vero Diario planta hæc appellatur *Vanutſcha Trava Ruſſorum fœtidiſſima, radice perenni, chriſtophorianæ foliis, procerior, flore in racemis luteo ſtaminoſo, capitulo ſeminali quadrivaginato, ſemine villis foliaceis hiſpido plurimo.*

Ante biennium GMELINUS Chriſtophorianæ vulgaris, noſtratis, racemoſæ & ramoſæ *Mor. hiſt. Oxon. P.* 2. *p.* 8. nomine plantam, fructu deſtitutam, in Argunenſium officinarum campis verſus occidentem ſitis, lectam, ad Acad. Scient. Imper. miſit, quam ejusdem Thalictroides eſſe exiſtimo. Erat autem foliis, quam in Dodonæi Chriſtophoriana & americana illa proceriori & longius ſpicata, *Horti Elth. p.* 79. *tab.* 67, multo profundius laciniatis, rarius ſed latius dentatis, anguſtioribus, craſſioribus, rigidioribus & rugoſioribus; caulibus elatioribus, ſirmioribus, minus anguloſis, rectis, ad quorum medium verſus, ex foliorum alis alternatim, ad quatuor plus minus intervalla, pediculi oriebantur tenues, leviter hirſuti, biunciales, flores medium verſus gerentes, Chriſtophorianæ Dod. floribus multo majores, brevioribus pedunculis innaſcentes, numero plures, pluribus ſtaminibus refertos. Summus autem caulis terminabatur in ſex iſtiusmodi ſpicas floriferas, ad exortum ligula tenuiſſima ornatas, reliquis ſpicis, quæ ex foliorum inferiorum alis originem ducunt, paulo breviores, ſed copioſioribus floribus onuſtos.

GMELINI Flora Sibirica I. tom. 4. pag. 181. *T. LXX. Cimicifuga Linn. Syſt. Nat.* 1282.

Actæa fructibus ſiccis plurimis. *Gm. Inſt.*

Thalictroides glutinosum fœtidissimum amplissimis foliis. *Ind. Len.* 426. *Irc.* 607. *Jen.* 1128.

Thalictroides fœtidissimum christophorianæ facie. *Gmel. Amman. Ruth.* 102.

Actæa racemis paniculatis, fructibus quadricapsularibus. *Linn. Spec. pl.* 1. *p.* 722. *n.* 3.

Radix perennis est, extus fusca, intus alba, crassa, nodosa, brevis, fibris plurimis crassiusculis, transversim in terra repentibus, aucta. *Caulis* orgyam nonnunquam altus, ad exortum rubens, dilute viridis, & levissime hirsutus, vix striatus, pro magnitudine plantæ haud admodum altus, parum cavus, mox ad exortum suum bifariam divisus, uno ramo usque ad triunciale spatium nudo, tum in nodum intumescente & abhinc in tres ramos hirsutos subdiviso, quorum singuli sustinent folium quale in icone ad latus pictum est, sed multo altius, pinnatum, in recenti planta glutinosum, pinnis circumcirca serratis, ad costam hirsutis, pallide viridibus, venosis; alter ramus, brevi post exortum, folium, descripto simile, emittit, altero subinde alterum sequente, ita tamen ut superiora semper minora sint, & suprema integra. Extremum caulis plurimos emittit ramulos, satis longos, ad quos alternatim egrediuntur flores globosi, brevissimis pediculis innixi, corolla destituti, sed quatuor, quinque & sex calycis foliis subrotundis, concavis, obtusiusculis instructi, filamentis plurimis, absque pistillo. Ipsum caulis fastigium in ejusmodi spicam terminatur, corolla nulla, calyce descripto simili, sed caduco, filamentis iisdem, antheris omnino fertilibus, pistillis pluribus numero variantibus, cum totidem stylis subulatis, stigmatibusque convexis, stylorum lon-

longitudine. Ita aliquoties obſervavi in exemplis quæ Hortus noſter Academ. alit, ut videatur planta magis ad Polygamiam monœciam L. pertinere, quamvis & ſæpe dioica eſſe ſoleat, antheris circa fœmininas partes ſterilibus; ſcimus autem, naturam in ſexu (haud) raro ludentem. *Capſulæ* tot quot ovaria, membranacea, unilocularia, apice conniventia, brevibus pediculis hærentia. *Semina* plerumque quatuor, minuta, albentia, theca, criſpis quaſi undulatisque membranis aſpera, obvoluta.

Spica floriſera ante explicationem deorſum nutat, & tum demum erigitur, quando flores explicare incipit.

§. VII. LOCUS.

Dauria cis *Jeniſeam*, & in regionibus plerisque verſus orientem.

A Jacquino Prof. bot. Viennenſi etiam in montibus *Carpathicis* obſervata.

Tempus florendi a medio Julii in finem Auguſti.

§. VIII. CULTURA.

Climatis noſtri patiens eſt hæc herba, ita quidem ut ſub hieme illam tegere non ſit opus. Multiplicatur vero per radicem, ex qua exſurgunt multa individua, ſi autem deſideramus magnam copiam, ſemina ſerantur in olla ſub dio, & demum tranſplantentur, præcipue in loca umbroſa, vel ut umbram ſibi concilient, juxta parietes vel inter herbas.

Non eſt de nihilo, quod MESSERSCHMIDT, qui fuit primus inventor herbæ, nominaverit illam

lam *Cimicifugam.* Nam hinc veri ſimile fit, ei ſaltim narratum eſſe, incolas in loco ejus natali adhibere illam ad Cimices expellendos. Quatenus ergo hi ingrati hoſpites nobis tam multa incommoda adferunt, ſemper quam maxime in votis fuit, ut contra illos aliquod ſpecificum inveniretur. Non ergo abs re, ſed potius operæ pretium eſſet, experimentandi gratia, in domibus, ubi illi graſſantur, ponere herbam, infuſoque ejus loca lavare, ut ſcilicet ita videre liceret, num virtutem illos expellendi habeat. Verum namque eſt, nobisque notum, diverſas fœtidas plantas illis eſſe contrarias, ut *Cannabim*, *Ledum*, *Myricam*, *Tabacum*, *Geranium robertianum*, *Aconitum*, & plures alias; ut videre licet e *Syſt. Nat. tom. I. pag.* 715. Quatenus ergo hæc herba maxime eſt fœtida, ut mox oſtendam, eatenus forſan majorem ceteris memoratis hac in re præſtaret effectum, & forſan omnino optatum, quod magna certe res eſſet & proficua.

Herba hæc oblata fuit Animalibus domeſticis, ut Equis, Bovibus, Ovibus, Capris, & Suibus, ſed omnia illam intactam relinquunt.

§. IX. QUALITAS.

Sapor parum acris.

Odor herbæ teterrimus, inter digitos trita vix tolerabilis eſt naribus, & ita tetra magis quam aliæ omnes mihi notæ plantæ.

Illam intra cameram meam habui, & vehementer infeſtavit caput, ita quidem ut fere vomitum excitaverit.

§. X.

§. X. VIRES.

A nullis medicis adhuc præſcripta eſt hæc herba in aliquo morbo; perſuaſum autem mihi omnino eſt, fore ut poſthac in uſum medicum præſtantiſſimum præſcribatur, utpote quæ certe vim eximiam habeat. Priſci ævi Medici valde abhorruerunt a medicamentis venenatis. Recentioris ævi autem vim efficaciſſimam in iisdem invenerunt, ut videndum eſt in *Cicuta*, *Atropa Belladonna*, *Aconito Napello, Hyoſcyamo nigro*, *Phytolacca americana &c.* Hæc vero maxime eſt venenata, quod non ſolum cognoſcitur ex ejus affinibus, quum in Ordine naturali referatur ad *Multiſiliquas*, & ideo affinis ſit *Aconito*, *Delphinio*, *Actææ* & alis in Claſſe *Polyandria*; ſed etiam patet ex ejus inſigni qualitate *Tetra*.

Venenum in Regno Vegetabili eſt illud, quod noxium eſt ſyſtemati nervoſo, ut *Tetra*, *Nauſeoſa*, & *Viroſa*; etiam illud quod nocet ſolidis, ut *Acria*, quæ ſolida corrodunt. *Cimicifuga* certiſſime eſt ex efficaciſſimis *Tetris*, longeque ſuperat *Papaver*, *Actæam*, *Sambucum*, *Melianthum*, *Cotulam*, radicem *Fritillariæ Imperialis* & reliquas *Tetras*, quæ omnes *Externe* applicatæ maxime ſunt repellentes, & naturæ imprimis inimicæ. *Interne* ſumta, natura quærit per ductus varios illa evacuare e machina animali, per diaphoreſin, ſudorem; vomitum, alvum &c.

Operæ omnino pretium foret *Externe* illam tentare in *Hæmorrhoidibus cæcis, Panaritio* & in *Inflammatione externa* locis periculoſiſſimis, contra *Glandulas infarctas*, *Scrophulas* & *Scirrhos*, immo ipſum *Cancrum*. *Interne* in *Arthritide*, *Hydrope* variisque aliis. Ejusmodi experimenta vero ita inſtituenda eſſent a prudenti medico, ut incipiendo a minima

&

& maxime refracta dosi, sensim ascendatur usque dum pupilla incipiat dilatari, oculique magis scintillare, ad quæ phænomena vela essent demittenda.

In *Hydrope* dixi, nam observandum est, narratum fuisse D. GMELINO abs *Sibiriæ* Incolis, solere illos morbum hunc atrocem curare cum infuso hujus herbæ, quod propinant per totam hebdomadem, & quidem eo cum optato effectu, ut magna portio aquarum per vomitum & alvum evacuetur, ægerque ad pristinam sanitatem restituatur.

Quod vomitum excitet, id pro certo possum affirmare, nam experimentum in me ipso feci. E Foliis ejus sumsi semiunciam, quam infudi cum libra aquæ ferventis, & dimidiam ejus partem circiter bibi, quæ portio sumta post aliquas horas vomitum excitavit. Si hæc herba Emetici loco adhiberi posset, minoris pretii certe nullum Emeticum haberemus, nec forsan ullum efficacius, immo forsan eodem cum effectu, quo adhibetur *Ipecacuanha*, quæ ideo adfertur in nostras Officinas ab ipsa *Brasilia*.





CLXIII.

ESCA AVIUM DOMESTICARUM

PRÆSIDE

D. D. CAR. V. LINNÉ

propoſita

ab Auctore

PETRO HOLMBERGER

Oſtrogotho.

Upſaliæ 1774. Nov. 26.

---

§. I.

Solidius, certius ac infallibilius PERFECTISSIMI ENTIS exiſtentiæ, omnipræſentiæ, ſapientiæ & providentiæ teſtimonium, ope rectæ rationis acquiſitum, non datur, quam res creatæ, omni noſtra admiratione dignæ.

Animalium Mammalium, Avium, Piſcium, &c. diverſi habitus, mores, œconomia & corporum ſtructura, attentionem noſtram maxime quidem excitant, meque judice, mentibus noſtris, dulcedinem neſcio quam infundunt; natura autem in minimis præſtantiſſima eſt.

Non

Non omnes eæ partes in Infectis occurrunt, quibus animantia majora gaudent. Sed hoc non impedit, quo minus hæc animalcula, æque ac immensi Elephantes, se movere, respirare, sentire atque omnibus, eis concreditis officiis, fungi possint.

Et sane, secundum nostrum judicandi modum, artificium plusquam stupendum est, Animalculum oculorum aciem fugiens, immo sæpissime optimis Microscopiis vix visibile, omnibus illis organis a DEO instructum esse, quibus vitam agere injunctaque munera administrare valet.

Plantæ etsi vita sensitiva careant, cum animalibus tamen sæpe, quoad varias proprietates, certant. Caput igitur cerebro vacuum certe habet, qui subtilissima vasorum compositione & dispositione perspecta, SUMMUM NUMEN, illarum ut & totius universi, AUCTOREM & RECTOREM, omni, qua par est, veneratione non prosequitur.

Quis autem in mentem revocans, quod in mundo hoc sublunari, plura millia Insectorum, numero reliqua animantia superantium, reperiantur; quodque hæc, inaudito fere modo, speciem suam multiplicent: ita *ut unica PHALÆNA proletella, secundum Reaumurium, quotannis circiter 200 000 individua proferat:* lubens prætereo TIPULARUM, MUSCARUM, CULICUM ARANEARUMQUE progeniem incredibilem; quis sine maxima admiratione hæc omnia contemplari potest?

Hominis ideo ratione præditi est perspicere, cur tantam fœcunditatem huic classi, DEUS Sapientissimus nihil frustra faciens, indiderit, aut quænam

nam utilitas ex illis colligenda ſit? inſipidum enim foret, tantam multiplicationem, nulli, praeter propagationem, commodo futuram, naturae tantum luſum credere. Quanta copia ſeminum in multis plantis reperitur! E. g. in capſula PAPAVERIS circiter 32000, in NICOTIANÆ autem 40 320 ſemina numerantur.

Hæc tam ſuperflua ſemina, neceſſaria apud plerasque non eſſent; nam radicibus, bulbis, caulibus, ramis & ſic porro, ſpeciei ſuæ conſervationem procurant: & ſi ex unico ſemine, verbi gratia VERBASCI vel HYOSCYAMI, tam multæ orirentur plantæ fertiles, intra paucos annos, magna pars terræ venenatis hiſce plantis eſſet obtecta: & ſic in ceteris: hoc tamen non fit.

§. III.

Experientia, fundamentis veris innixa, tutiſſima illa Scientiæ Naturalis magiſtra, ſolidiſſima argumenta præbet, quod & Inſecta, & fructus plantarum, eam ob cauſſam fere innumeri ſint, inprimis ob propagationem, deinde ut plurimis quadrupedibus & Avibus, multisque Amphibiis et Inſectis, cibo inſervirent. Si enim hæc Animalia, hoc cibo deſtituerentur, tota hæc cohors fame periret, quod fini intento repugnat.

CORVUM Picam, ſaltatricem iſtam & garrulam avem, videmus SCARABÆOS e fimo carpentem, deficiente autem hoc nutrimento, ſedulo PECORA & EQVOS inſequentem, ut deliciis ſuis occurrat.

Obſervatione etiam dignum, quod CANIS Vulpes ac URSUS Meles SCARABÆIS ſtercorariis delectentur.

PICUM viridem FORMICAS rufas deprædantem, foraminaque in acervis, hieme, roſtro terebrantem, attentus quisque cernit.

LOXIAM Pyrrhulam, ſemina ARCTII Lappæ & ARTEMISIÆ Abſinthii colligentem, nec non HIRUNDINEM domeſticam, PHALÆNAS & APES melliferas volantes venantem, propriis oculis vidi.

LACERTA agili, cultro anatomico ſubjecta, CICINDELAM campeſtrem, GRYLLUM biguttatum & PHALANGIUM opilionem ab ea devorata eſſe, ſimiliter obſervavi.

In RANÆ Bufonis ventriculo aperto, DERMESTEM pedicularium, CHRYSOMELAM politam, CARABUM latum, ELATEREM ſanguineum, ELATEREM murinum, VESPAM vulgarem, ARANEAM labyrinthicam, SCOLOPENDRAM Laguram & JULUM terreſtrem, quoque vidi.

RANA temporaria ſemina plantarum aquaticarum deglutit. ASILUS crabroniformis GRYLLUM biguttulum, ut ASILUS gibboſus VESPAM vulgarem corneis maxillis necat, ut plura exempla reticeam. Omnia denique animalia, certo, naturae eorum convenienti cibo, paſcuntur, quem transgredi pro lubitu non licet, ſub poena morbi aut mortis. Si enim unicuique permiſſum eſſet, quaecunque edere, reliqua fame perirent, totaque rerum ſeries perverteretur. En providentia divina!

§. III.

Experimenta, quae in PANE SVECICO A:no 1749 ſub auſpicio D:NI PRÆSIDIS fuere inſtituta,

ta, anſam mihi praebuerunt, additis ultra 2000 novis obſervationibus eidem diſſertationi, periculum faciendi, in experiundo alimento Avium domi alitarum, hancque Materiem ſpeciminis academici mei eligere conſtitui.

Univerſam huius orbis compagem, varietate ſe jactare conſtat. *Animalia quadrupedia domeſtica magis minusve lubenter varias plantas conſumere, ceteras reſpuere novimus: ab aliis maxime abhorrent.* E.g. *EQUO NYMPHÆÆ luteæ radicem odorante, ronchos edit vehementes: Si autem ea in praeſepio ponatur, pabulum omne, licet maxime famelicus ſit, reiicit: ita ut hæc radix PRUNO Pado & LYCOPODIO Selagine, deteſtabilior ei ſit.*

Tetraones baccarum & ſeminum magnam partem conſumunt, ceteris relictis. Inde igitur tuto concludere poſſum, quod Avibus domeſticis cicuratis, non tantum Allium, Urtica & Grana contuſa in uſum deſtinata ſint; ſed et varia plantarum & ſeminum genera: et quamvis Anſeres, Anates & Gallinæ Urticam non ſponte foris adtingant, fame tamen coactæ & granis Hordei pellectæ, naturæ earum non convenientem cibum arripere neceſſum habent. Hinc forſan multi harum Avium pulli in infantia ſua moriuntur.

Ignorantia, negligentia et majorum mala iſta conſvetudo inimiciſſima peſtis progreſſus omnis tam in Oeconomicis quam aliis Scientiis, huius cauſſa primaria eſt.

Quantum mihi conſtat, ne unicus quidem, Inſecta Svecana, contemtui rudis plebis obnoxia, ac plantas indigenas harum Volucrium uſui inſervientes, curam experiundi in ſe ſuſcepit; viam igitur

ſpinis obſitam inceſſi; quid igitur mirum, ſi opus omnibus numeris completum abſolvere non licuit?

Impedimenta obvia quantum ad me removi: ter aut quater his Avibus Inſecta & ſemina proiicere, inſufficientem obſervationem eſſe duxi: decies, immo interdum bis decies, omnia experimenta ſunt iterata.

Hæ enim Aves, experimentum inſtituenti non adſvetæ vel fame aliisque affectionibus laborantes, curioſum facile decipere queunt.

Quam proſicuum totius regni Oeconomis! quanta nunquam ſatis laudanda parſimonia! ſi ſubſequens catalogus, ſi non omnis, quædam tamen pars in uſum deſtinatum adhiberetur, nec ſemina ſine fructu deciderent: major ſane numerus harum Avium, pro natura & indole cujuscunque generis, tum ali poſſet; natura enim uti ſapientis eſt, huiusque regimine ducti, omnia conſequimur.

Præterea veriſſimum eſt, quod ultra plura millia Modiorum Avenæ et Hordei per totam Sveciam, ab his Avibus conſumantur, qui ſumtus, horum ſeminum uſu, valde diminueretur, prorſusque tandem evaneſceret.

Plures & fere omnes plantæ disqviſitioni noſtræ ſubjectæ, ubique ſponte & copioſe creſcunt, paucarumque ſemina SECALIS Cerealis minora ſunt: Inſecta vero, omni loco fere occurrentia.

Sed recenſio ſubjungenda eſt.

INS.

INSECTA COLEOPTERA.

			*) A.	B.	C.	M.
1	SCARABAEUS	ſtercorarius	o	o	o	-
2	- - -	vernalis.	-	-	1	-
3	- - -	auratus.	-	1	1	1
4	LUCANUS	cervus. *a)*	o	10	o	o
5	SILPHA	rugoſa. *b)*	-	-	1	1
6	COCCINELLA	bipunctata.	-	-	1	-
7	- - -	ſeptempunct.	-	-	1	-
8	- - -	quatuordec.	-	-	-	1
9	CHRYSOMEL.	Alni.	-	-	1	1
10	- - -	polita	-	-	1	-
11	- - -	marginella.	-	-	-	1
12	- - -	quadripunct. *c)*	-	-	o	-
13	CURCULIO	argentatus.	-	-	1	1
14	CERAMBYX	coriarius.	-	-	11	-
15	- - -	ſutor.	-	1	1	-
16	LEPTURA	aquatica.	-	1	10	-
17	- - -	melanura.	-	-	-	1
18	- - -	rubra.	-	-	1	-
19	- - -	virginea. *d)*	-	-	1	-
20	- - -	collaris	-	-	1	-
21	CANTHARIS	fuſca. *e)*	-	1	-	o
22	- - -	ſangvinea.	-	-	-	10
23	ELATER	faſciatus.	-	-	-	1

*) *A.* Anas Anſer domeſticus. *B.* Anas Boſchas domeſtica. *G.* Phaſianus Gallus. *M.* Meleagris Gallopavo.

a) 4. Si maxillæ & pedes demantur, roſtro quidem dentato eum commoliunt; ſi non, horrore corripiuntur.

b) 5. Gregaria in cornibus foetidis & ſub cadaverum oſſibus hiemat.

c) 12. Avide quidem arripit hanc Gallus & roſtro petit; ſed intactam relinquit.

d) 19 Gallus, ut ſedulus Pater familias, eſcam cantu ſingulari, accurrentibus conjugibus monſtrabat, illis autem hujus rei interdum parum ſollicitis, ipſe ſumſit.

e) 21 Avidi pulli Meleagridum, hanc tamen rejiciebant.

			A.	B.	G.	M.
24	BUPRESTIS	mariana.	-	I	-	.
25	CARABUS	violaceus.	-	-	I	.
26	- -	latus.	-	-	-	I
27	- -	vulgaris	-	-	-	10
28	STAPHYLIN.	politus.	-	-	-	I

INSECTA HEMIPTERA.

			A.	B.	G.	M.
29	GRYLLUS	verrucivorus. *f*)	11	11	11	11
30	- -	ſtridulus	10	I	I	I
31	- -	viridulus	-	I	I	I
32	- -	biguttulus	-	I	I	:
33	- -	pedeſtris	-	I	I	.
34	CIMEX	baccarum	-	-	I	I
35	- -	oleraceus.	-	-	I	.
36	g) - -	Hyoſcyami.	-	-	10	0

INSECTA LEPIDOPTERA.

			A.	B.	G.	M.
37	PAPILIO	Rhamni.	-	-	0	I
38	- -	Cardui.	-	-	0	I
39	- -	polychloros	-	-	0	I
40	- -	c album	-	-	0	I
41	- -	Virgaureæ.	-	-	0	.
42	- -	Malvæ *h*)	-	-	10	.

INSECTA NEUROPTERA.

			A.	B.	G.	M.
43	LIBELLULA	vulgatiſſima.	-	-	I	I
44	- -	ænea	-	-	I	.

45

f) 29 Grylli forſan omnes in deliciis ab his Avibus haben-tur; & quamvis mihi occaſio non fuerit omnes expe-riundi, perſacile tamen creditu eſt, omnes ab illis edi. Maximopere quoque a Suibus adamantur. Gallinæ ari-dis quoque Gryllis paſcuntur.

g) 36 Nec Gallus nec Gallopavo ſemina *Hyoſcyami* edunt; non igitur mirum, ſi hunc repudiant.

h) 42 PAPILIONES laſcivientes & inſtabiles in Gallorum difficulter volantium uſum forſan non deſtinavit Summus Creator.

			A.	*B.*	*G.*	*M.*
45	- -	virgo.	-	-	1	1
46	EPHEMERA	vulgata. *i*)	-	-	1	-
47	- -	culiciformis.	-	-	1	-
48	PHRYGANEA	phalænoides.	-	-	1	1
49	HEMEROBIVS	chryſops.	-	-	1	-
50	PANORPA	communis.	-	-	1	-
	INSECTA HYMENOPTERA.					
51	TENTHREDO	viridis.	-	-	1	1
52	ICHNEUMON	titillator.	-	-	-	11
53	VESPA	Crabro.	0	0	0	0
54	- -	vulgaris	-	-	0	-
55	FORMICA	herculeana.	-	-	1	1
56	- -	ruſa.	-	-	1	1
57	- -	fuſca.	-	-	1	1
58	- -	rubra.	-	-	1	-
	INSECTA DIPTERA.					
59	TIPULA	rivoſa.	-	-	-	1
60	- -	crocata.	-	-	1	-
61	- -	febrilis.	-	-	1	0
62	MUSCA	bombylans.	-	-	-	10
63	- -	myſtacea.	-	-	0	0
64	- -	femorata.	-	-	-	1
65	- -	Cæſar.	-	-	1	-
66	- -	carnaris.	-	-	1	11
67	- -	domeſtica. *k*)	-	-	1	1

i) 46 Siccatam quoque conſumunt.
Apes bombinatrices relinquuntur a Gallis, Gallopavonibus & forte reliquis Avibus domeſticis.
Ova & larvæ 55, 56, 57, 58, a Gallis & Gallopavonibus etiam conſumuntur.

k) 67 Hanc tædioſiſſimam Auguſti menſis pediſſequam, faſciculis, ex betulinis ramis confectis, & cremore lactis, ſaccharo aut aliis dulcibus liquoribus illinitis capere poſſumus

			A.	B.	G.	M.
68	- -	ſcybalaria.	-	-	1	.
69	- -	floreſcentiæ.	-	-	1	.
70	TABANUS	arcticus.	-	-	1	1
71	CONOPS	calcitrans.	-	-	1	.
72	- -	macrocephala.	-	-	0	0
73	ASILUS	tipuloides.	-	-	-	1
74	BOMBYL.	medius	-	-	1	.
		INSECTA APTERA.				
75	ARANEA	diadema.	-	-	-	1
76	- -	domeſtica.	-	-	1	.
77	- -	labyrinthica.	-	-	1	1
78	SCOLOP.	Lagura.	-	-	1	.
79	JULUS	terreſtris.	-	1	0	.
		VERMES INTESTINA.				
80	LUMBRICUS	terreſtris.	0	1	1	1
81	HIRUDO	ſanguiſuga.	-	1	-	1
		VERMES MOLLUSCA.				
82	LIMAX	ater. *l)*	-	1	-	.
83	- -	cinereus.	-	1	-	.
		VERMES TESTACEA.				
84	MYA	pictorum.	-	1	-	.
85	HELIX	Lapicida.	-	1	-	.
86	- -	vivipara	-	1	-	.
87	- -	nemoralis.	-	1	-	.

88

poſſumus & in uſum harum Avium aſſervare; ſiccatam enim minime ſpernunt. Geſtricii quoque coccineum colorem ſericeis veſtimentis, harum ut & aliarum Muſcarum capitibus in mortario contuſis & aquæ calidæ immiſſis, inducunt.

l) 82 Sues hunc ut & LIMACEM cinereum ſ. mme appetunt, ac totas ſilvas naſo odorante pererrant, ut eos inveſtigent.

			A.	B.	G.	M.
88	- -	fragilis.	-	1	-	-
89	- -	auricularia.	-	1	-	-

SEMINA & FOLIA VEGETABILIUM.

DIANDRIA.

			A.	B.	G.	M.
1	VERONICA	agreſtis. ſ.	-	-	10	-
2	UTRICUL.	vulgaris.	-	1 fol.	-	-

TRIANDRIA.

			A.	B.	G.	M.
3	PHLEUM	prat. f. non ſpic.	1	-	-	-
4	MILIUM	effuſum. ſ. & f.	11	11	11	11
5	AGROSTIS	ſpica venti ſ.	1pan.	-	-	-
6	- -	canina. f. & panic.	1	-	-	-
7	AIRA	ceſpitoſa. f. & panic.	1	-	-	-
8	MELICA	nutans ſ.	1	-	0	0
9	POA	trivialis. f. & panic. *m*)	11	11	11	11
10	- -	annua. f. & panic.	11	11	11	11
11	CYNOS.	criſtatus. *n*)	1ſpic.	0	0	-
12	FESTUC.	decumbens. ſ.	11	11	11	11
13	- -	elatior. ſ.	1	1	11	11
14	- -	fluitans. ſ.	11 f.ſ.	11	11	11
15	BROMUS	ſecalinus.	11 f.ſ.	11	11	11
16	- -	arvenſis ſ.	11	11	11	11
17	AVENA	pratenſis ſ.	-	-	1	-
18	LOLIUM	perenne ſ.	1	-	10	1
19	- -	temulentum.	11 f.ſ.	11	11	11
20	SECALE	cereale. f.	-	-	1	1
21	TRITICUM	repens.	1 f.ſ.	-	-	-

TETRANDRIA.

			A.	B.	G.	M.
22	GALIUM	Aparine. ſ.	-	-	10	10
23	PLANTAG.	media	1 f.	-	1 ſ.	-

m) 9 Foliis 8 & 9 ab incunte vere ad autumni fere finem, omnes hæ Aves, inprimis delectantur.

n) 11) CYNOSURI criſtati ſemina contuſa, Anati & Gallo tamen non placent.

			A.	*B.*	*G.*	*M.*
24	ALCHEM.	vulgaris.	1 f.	-	-	-
25	POTAMOG.	natans. f.	-	10	o	-
26	- -	perfoliat. f. *o*)	o	10	o	-

PENTANDRIA.

27	PULMON.	officinalis. ſ.	-	-	1	-
28	PRIMULA	veris. f.	-	-	1	-
29	MENYANT.	trifoliata.	-	-	1 ſ.	-
30	LONICERA	Xylosteum. b.	1	1	10	1
31	SOLANUM	Dulcamar. *p*) b.	-	-	1	-
32	RIBES	alpinum.	1	1	1	1
33	CHENOPOD.	urbanum f.	1	1	-	-
34	CHÆROPH.	ſilveſtre ſ. & r.	-	-	o ſ.o.r.	1
35	CARUM	Carvi. ſ.	-	-	o	-
36	VIBURN.	Opulus. b.	-	-	10	-
37	ALSINE	media. f.	11	-	-	-

HEXANDRIA.

38	ORNITH.	luteum. ſ.	-	-	-	10
39	CONVALL.	polygonatum.	1r.b.f.	1r.b.	1r.b.10	1r.b.
40	JUNCUS	piloſus. ſ.	-	-	10	1
41	- -	campeſtris. ſ.	-	-	1	1
42	RUMEX	criſpus. f.	-	-	-	1
43	- -	Acetoſa. ſ.	-	-	1 ſ.&f.	1

OCTANDRIA.

44	VACCIN.	Myrtillus. b.	1	1	1	1
45	- -	uliginoſum. b.	o	o	-	10
46	- -	Vitis idæa. b.	1	1	1	1
47	- -	oxycoccos. b.	-	-	1	-

48 DA-

o) 26 Ex obſervatione NOBILISSIMI PRAESIDIS.

p) 31 Septem vel octo baccas Gallinæ ingurgitant, cæteras relinquunt: illis tamen magis ſapidæ ſunt, quam baccæ RHAMNI Frangulæ, quas Gallopavo omnino rejicit.

			A.	*B.*	*G.*	*M.*
48	DAPHNE	Mezereum. b. *q*)	10	1	11	1
49	POLYGON.	aviculare. ſ. & f.	11	11	11	11
50	PARIS	quadrifolia. b.	o	o	1	o
		DECANDRIA.				
51	ARBUTUS	Uva urſi. b. *r*)	-	o	10	1
52	SAXIFRAG.	granulat. ſ.	-	-	o	o
53	STELLAR.	graminea. f.	1	-	-	-
54	ARENAR.	ſerpyllifolia.	-	-	-	1 f. ſ.
55	SEDUM	Telephium. r.	-	o	o	-
56	AGROST.	Githago. ſ. *s*)	1	-	1	1
		ICOSANDRIA.				
57	SORBUS	aucuparia. b.	o	.	1	1
58	PYRUS	Malus pom.	.	.	1	1
59	RUBUS	Idæus. b.	1	1	1	1
60	. . .	ſaxatilis. b.	1	1	1	1
61	. . .	Chamæmor. b.	.	.	o	10
62	FRAGAR.	veſca. b.	11	11	11	11
	POTENT.	Anſerina. f.	1	.	.	1
		POLYANDRIA.				
63	CHELID.	majus.	.	.	o	o
64	ANEMONE	nemoroſa.	.	.	10	10

65 RA-

q) 48 CANIS familiaris, CANIS Lupus, & CANIS Vulpes ſex baccis ſumtis moriuntur; Anſerem autem domeſticum quatuor vel quinque, Gallum ultra viginti & Gallopavonem quindecim ſine vitæ diſpendio aſſumere vidi.

r) 51 Baccæ, piſtillo ligneo leviter, ne ſemina confringantur, contuſæ & in aquam calidam miſſæ, tota autem maſſa denique filtro colata, igni expoſita, & quantum ſufficit evaporata, ſyrupum dulcem dant.

s) 56 Capſula matura, puro melle ſapido repleta eſt: ſemina autem commolita & cribrata in pulmentis adhiberi poſſunt.

			A.	B.	G.	M.
65	RANUNC.	reptans. f. & cor.	1	.	.	.
66	. . .	repens. f. & cor.	1	.	.	.
67	. . .	acris. f. & coroll.	1	.	.	.
68	. . .	aquaticus. f.	.	10	.	.
69	TROLL.	europæus. ſ.	.	.	o	.
70	CALTHA	paluſtris. ſ.	.	.	10	.
		DIDYNAMIA.				
71	AJUGA	pyramidalis. ſ.	.	.	1	1
72	GLECH.	hederacea. ſ.	.	.	1	.
73	LAMIUM	purpureum. ſ.	.	.	1	.
74	GALEOPS.	Tetrahit. ſ.	.	.	1	.
75	MELAMP.	pratenſe. ſ.	.	.	1	.
		TETRADYNAMIA.				
76	THLASPI	Burſa paſtoris.	1f. ſilic.	.	1f	1f. ſil.
77	SISYMBR.	Sophia. f.	1	.	.	.
78	. . .	Irio. ſ.	1	.	.	.
79	BRASSICA	Rapa. r.	1	.	.	.
		MONADELPHIA.				
80	MALVA	rotundifolia.	.	.	.	1f.
		DIADELPHIA.				
81	OROBUS	tuberoſus. ſ. *t)*	.	1	1	1
82	. . .	niger. ſ.	.	1	1	1
83	LATHYR.	pratenſis.	1 ſ. f.	.	1 l. ſ.	1l. ſ.
84	. . .	ſilveſtris.	1	1	1	1
85	. . .	paluſtris. ſ.	1	1	1	1
86	VICIA	dumetorum. ſ.	1	.	1	1
87	. . .	ſilvatica. ſ.	1 f. ſ.	1	1	1
88	. . .	Cracca. ſ.	1	.	1	1
89	ERVUM	tetraſperm. ſ.	11	11	11	11
90	. . .	hirſutum	1l. ſ.	1l. ſ.	1 ſ.	1l. ſ.

91

t) 81 Sues terram late longeque effodiunt ad inquirendas radices hujus & TORMENTILIAE erectæ.

			A.	*B.*	*G.*	*M.*
91	ASTRAG.	glycyphyllos.	1 f.ſ.	10 ſ.	1 ſ.	1 ſ.
92	TRIFOL.	pratenſe. f.	1	.	.	.
93	LOTUS	corniculat.ſ.&f.	1	.	.	.
		SYNGENESIA.				
94	SONCH.	oleraceus.	1 f.	.	1 r. f.	10 r.
95	LEONT.	Taraxacum.	1 f.	.	1r.non ſ.	1r.ſ.10
96	. . .	autumnale.	1f.cor.v.	.	.	.
97	LAPSAN.	communis.	1 f.	.	.	.
98	ARCT.	Lappa. ſ.	.	.	11	.
99	CARD.	lanceolatus. ſ.	.	.	11	.
100	ARTEM.	Abſinthium.	.	.	.	1 f.
101	SENEC.	vulgaris.	.	.	1	.
102	ANTH.	arvenſis. f.	.	.	.	1
103	CENT.	Cyanus. f.	1	.	.	.
104	VIOLA	mirabilis. ſ.	.	.	10	.
		GYNANDRIA.				
105	CALLA	paluſtris.	.	.	1	1
		MONOECIA.				
106	CAREX	globularis.	1	.	10	10
107	PINUS	Abies. ſ.	.	o	o	.
		DIOECIA.				
108	JUNIP.	communis. b.	.	.	10	10
		CRYPTOGAMIA.				
110	EQVIS.	fluviatile.	1 f.	.	.	.
111	POLYP.	filix mas	1 f.	.	.	.
		LARVA.				
112	PAPIL.	Urticæ.	.	o	o	.

Summa denique oblectione NOBILISSIMUM D:NUM PRAESIDEM de PHASIANO Gallo narrantem audivi; nempe quod varia ſemina lino immixta comedat, lini autem intacta relinquat. Jucundum ſane ſpectaculum!

Expe-

Experimenta igitur 388 inſtitui, ex quibus conſtat:

ANSEREM domeſticum	63	edere,	7	Species o
ANATEM domeſticam	54	. .	9	. . .
PHASIANUM Gallum	119	. .	26	. . .
MELEAGRID. Gallopav.	98	. .	17	. . .

Signorum Explicatio.

o	—	non editur.
10	—	interdum editur, interdum non.
1	—	editur.
11	—	libenter editur.
ſ	—	ſemina.
f	—	folia.
b	—	baccæ.
ſilic.	—	ſilicula.
l.	—	legumen.
r	—	radix.





CLXIV.

MARUM

QUOD

PRÆSIDE

D. D. CAR. v. LINNÉ

PRO GRADU DOCTORIS

proposuit Auctor

JOH. ADOLPH. DAHLGREN, EBBESSON

Norrcopia Ostrogothus,

Medicus per Savolaxiam Provinc. ord. Reg. Coll. Med. Membrum.

Upsaliæ 1774. Decembr. 3.

---

§. I.

Medici scientis prudentisque ideam vix ac ne vix quidem animo finxeris iustam, nisi & *Morborum*, quibus vexatur corpus humanum, multiplicium, & *Remediorum*, datis morbis rite applicandorum, cognitionem ipsi gnaram commendaveris; qua desiderata, praxin inchoaturus, nubem pro Junone sectatur, crassis sane circumfusus tenebris.

Quod quum ita sit, hasce Medicinæ partes, dignitate & necessitate pari excellentes, æquali etiam cura excultas ac perpolitas esse, facile simul quisquam crediderit; secus vero se rem habere, certo certius constat.

In

In illuſtranda enim Scientia, *Diagnoſin* ſpectante morborum, artis noſtræ Principes ſummi deſudarunt; *genericos* reddiderunt characteres, ab externis et perſpicuis ſignis deſumtos; *ſpecies* ad ſua quasque genera retulerunt, ſecundum *cauſſas* quas agnoſcunt *procatarcticas*; quæ quidem determinatio ſpecierum ex cauſſis petita, res eſt adhuc altioris indaginis; cui vero ut ſedulo navarent operam, Machaoniæ artis Alumni, vehementer optarem.

Sed vel ſponte patet, *Phyſiologiam*, fundamentis anatomicis ſuperſtructam, ut et ſolidam cognitionem eorum omnium, quæ in humanum corpus agunt, heic inprimis principatum tenere.

Doctrina vero de *Medicamentorum viribus* ſecundum Qualitates cognitas agentibus, disquirendis, & eruendis, mirum quantum neglecta eſt; usque adeo enim increvit in officinis proſtantium e vegetabilium cohorte collecta ſimplicium farrago, iners & oneroſa, ut in votis eſſet, ut ſelectæ plantæ tantum in uſum vocarentur a Medicis, et ſic ſenſim e Pharmacopoliis, quæ vix ullius ſunt efficaciæ, exularent. Hinc eminet *Materiæ medicæ* peritia; nam vel pleno, ut ajunt, fluit alveo, optimum & in Theoria verſatiſſimum Medicum, nihil quidquam efficere in debellandis morbis, niſi imbutus fuerit notitia remediorum ſimplicium; qua deſtitutus, miles inermis hoſti ſe objicit.

Vaſtiſſimo ergo Medicinæ campo ſe committentibus perſuaſum volo, ut, licet ad Academias morari jam amplius non arriſerit, tamen in abſolvendo curſu, Anatomiæ & Pathologiæ non unice inhient, &, ut mos apud eos obtinet, Materiam Medicam flocci faciant.

Qui

Qui vero ad hanc tendunt metam, perſpectiſſima habeant omnia, quæ viribus plantæ*, in uſum medicum vocatæ, illuſtrandis, inſerviunt; ut ex ſcientia naturali, *nomen*, *affinitatem*, *locum natalem* &c. ex ordine naturali, odore & ſapore, *qualitates*, & ex hiſce datis, *vires*, ſub incudem vocare, nec non in qua *ſpecie* generis morbi cujusdam efficax ſe præbuit medicamentum, quod ſubſidio eſſe juſſerunt, probe notare.

Hujus autem ultimi obliti ſæpius fuere Auctores in Materia medica celebratiſſimi; unde, meo quidem judicio, prona ſuppetit ratio, cur vel de eorum aſſertis dubitemus, vel vim remedii pernegemus; adeoque, cum in quopiam morbo remedium fuerit præſtans, alio tempore eodem fine non ſatisfecerit, ſusque deque habitum fuerit. Inprimis tamen ſcitu neceſſarias duco plantas, quibus ſuus in quibusque claſſibus, non derogandus eſt locus primarius; ut inter *Amara*, China; inter *Mucoſa*, Althæa; *Pinguia*, Oleum; *Tetra*, Opium; *Ambroſiaca*, Moſchus; &c.

Cum ergo, in conſcribenda Diſſertatione inaugurali, quid novi, aut magni, aliis in Medicinæ partibus præſtare non valuerim, haud diſpliciturum fore judicavi, ſi de *Maro vero*, planta quidem antea cognita, non tamen uſu quotidiano, ita ut fas eſſet, recepta, dicerem; etenim quemque vires decet ſuas noſſe.

Si opella hacce, qua tali, anſam dedero Medicis, efficaciſſimam herbam, qua nulla major adhuc nobis eſt ex claſſe *Spirantium*, penitius noſcendi, & in poſterum cum delectamento ejus vim *analepticam* experiendi, votorum ſane reddar compos, et metam propoſitam me attigiſſe, ex intimis lætabor.

§. II. NOMEN &c.

Antiquiſſimis retro temporibus prorſus ignota fuit hæc planta, & minoris æſtimata; recentioribus autem ſeculis multa multi de illa ſcripſerunt; ut *Dodonæus*, *Charas*, *Wedelius* &c. de NOMINE ejus licet numquam conſentiant.

Quidam ſecundum Maronem, Regem neſcio quem, vel Latinorum poëtarum principem; aut Bacchi aliquem ſocium, eam denominatam eſſe, dicunt.

Alii iterum ex Arabum *marmahus*; Hebræorum *mar*; Graecorum *maron*, ob *amaritiem* Mari inſignem, nomen derivare conantur.

Ab Heſychio *Marum*; Salmaſio *Amaracum*; Dodonæo *Marum vulgare*; Dioſcoride ὑσόβριον; Recentioribus *Marum ſyriacum* vel *verum*; & a Johanne Bauhino *Marum Cortuſi* appellatur. Cortuſus autem, quondam Bot. Prof. Patavinus, primus plantam J. Bauhino oſtentavit, unde Cortuſi nomen fert. Apud Pharmaceuticos ſub titulo *Mari veri* occurrit.

Cum jam ipſe C. Bauhinus, ſui ævi Princeps Botanicus, obſcure admodum de Maro ſcripſerit, non miror in tradendis SYNONYMIS auctores deinde diſſentientes fuiſſe. Aliqui enim ſtatuerunt, eſſe Tragoriganum latifolium, *Baub. pin. p.* 223.; iterum alii, cum Boerhavio, Majoranam ſyriacam vel creticam, *Baub. pin. p.* 224. idem cum *Maro* eſſe credunt. Sed has mittamus rixas, & quæ in Marum quadrant, optima ſynonyma tradamus.

Marum Cortuſi. *Baub. hiſt.* 3. *p.* 242.

Chamædrys incana maritima fruteſcens, foliis lanceolatis. *Tournef. inſt. p.* 205.

Marum

Marum ſyriacum vel creticum. *Boerh. lugdb. p.* 182.

Marum ſyriacum. *Dal. pharmac.* 156.

Marum verum Cortuſi. *Geoffr. mat. med. t.* 3. *p.* 821.

Teucrium Marum, foliis integerrimis ovatis acutis petiolatis ſubtus tomentoſis, floribus racemoſis ſecundis. *Syſt. nat.* 13. *p.* 439. *Mantiſſ. p.* 409. *Mat. med. p.* 285.

FIGURAM, cujus ope facillime ejus facies videri poſſet, aptam non dari, eſt quod vehementer queror; inter optimas vero numero, quam dedit Rivinus Monop. irreg. *Pſeudomarum* p. 13. ed. noſtr. De cetero diſſertationem Wedelianam, Reſp. Hermanno quodam, Jenæ 1703. habitam *de Maro*, ſi cuiquam plura arriſerit ſcire, ut adeat & evolvat, enixe rogo; quam etiam diſſertationem intellectam ſemper volumus, cum citationes aliquæ Wedelii hocce in opuſculo occurrent. *a)*

§. III. DESCRIPTIO.

RADIX fibroſa.

CAVLIS fruticoſus, bipedalis, pollicaris, rimoſus, diſtortus, varie ramoſus: *Ramis* erectis, filiformibus, variæ longitudinis, tenellis cineraſcentibus.

a) Cavendum, ne hæc herba confundatur cum *Maſtichina* vulgo dicta, quæ diverſiſſima eſt planta, quamvis facie, demta fructificatione, ſimillima; dicta, in *Syſt. nat.* 453. et *Mantiſſ.* 413. THYMVS Maſtichina, *floribus verticillatis, calycibus lanuginoſis, dentibus ſetaceis villoſis;* odore et ſapore camphoræ admodum affini; ad hanc pertinet *Marum* Raj. hiſt. p. 520. Dal. pharm. 561. *Marum verum ſyriacum* Pharm. Würt. 45. *Marum* Rivini Monop. irreg. p. 36. ed. noſtr.

FOLIA opposita, brevissime petiolata, ovata, acuta, integerrima, margine reflexa, subviridescentia, (atomis oculo nudo inconspicuis, cinerascentibus,) subtus incana, (tomento vix conspicuo,) unguicularia, semper virentia, confertiora; in ramulorum axillarium rudimentis minora, plura.

RACEMI terminales, sessiles, solitarii, erecti, digitales.

FLORES oppositi, secundi; brevissime pedicellati; *Bracteis* folio similibus.

CALYX *Perianthium* monophyllum, tubulosum, pubescens, quinquedentatum: *dentibus* acutis, erectis, subæqualibus; *tubo* sub basi gibbo.

COROLLA monopetala, unilabiata, purpurea; *Tubus* longitudine calycis, supra fissus; *Limbus* quasi bilabiatus: *labio superiori* erecto bipartito ultra limbum, lanceolato; *inferiori* trifido: *laciniis lateralibus* porrectis, oblongis, brevibus; *intermedia* subrotunda, obtusissima, concava, integerrima.

STAMINVM *Filamenta* quatuor, filiformia, erecta, purpurea, corolla altiora, approximata, inter fissuram corollæ dorsalem prodeuntia; quorum duo paullo longiora. *Antheræ* subrotundæ, antrorsum versæ; *Polline* flavo.

PISTILLI *Germen* minimum, quadrifidum. *Stylus* filiformis, erectus, inter stamina positus. *Stigmata* duo, acuta: *superiori* erecto; *inferiori* extrorsum curvato.

PERICARPIVM nullum; Calyx immutatus.

SEMINA quatuor, calyce breviora, ovata, introrsum angulata, pubescentia.

§. IV.

§. IV. CLASSES

ad quas refertur apud Syſtematicos, ſequentes ſunt:

CÆSALPINI	10	*Herbaceæ*, quaternis ſeminibus.	Ordo 2.
MORISONI	14	*Galeatæ* & *Verticillatæ*.	— 3.
RAJI	14	*Verticillatæ*.	— 1.
HERMANNI	7	*Gymnotetraſpermæ Verticillatæ*.	— 4.
BOERHAAVII	12	*Gymnotetraſpermæ Verticillatæ*.	— 2.
RIVINI	11	*Irregulares Monopetali*.	— 4.
TOURNEFORTII	4	*Unilabiati*	— 4.
MAGNOLII	3	*Cal. ext. includente fl. monopetalum*.	— 5.
LINNÆI	14	*Didynamia*.	— 1.

Ordine naturali 42, ad VERTICILLATAS; quarum vix ullæ *Arbores*, pleræque *Suffrutices*, plurimæ *Herbaceæ*, ſunt. Agunt in nervos ſecundum olidum volatile oleoſum; & in fibras ſecundum amaritiem, pro gradu diverſo. In Foliis & Floribus medica virtus quærenda; in Radicibus autem vix manifeſta vis adeſt.

§. V. GENUS.

GENERE ſub *Teucrii* militat Marum, cujus character genericus, G. Pl. 706. traditus, concinne & breviter ita fere ſiſtitur:

CALYX *Perianthium* monophyllum, quinquedentatum, tubuloſum.

COROLLA monopetala, bilabiata; *labio* ſuperiori erecto, bipartito usque in tubum, ut fere nullo.

STAMINUM *Filamenta* didyma, inter fissuram labii superioris porrecta, erecta.

STYLUS *Stigmate* bifido.

SEMINA quatuor, nuda.

Proprium constituere genus e Maro Boerhaavius conatus est; verum character non sufficiens est; e. gr.

Habitus fruticosus; sed perplures species Teucrii fruticosæ sunt.

Folia serpylli lanceolata; character vero desumatur a fructificatione.

Flos teucrii unus e singulis foliorum alis; id vero frequenter observatur in Teucrii speciebus.

Odor acer, *volatilis*; a qualitatibus autem character non desumendus est.

§. VI. SPECIES.

SPECIEM tantum unicam Teucrii in patria Flora nostra alit, *Scordium* loquor; plurimæ vero in G. D. Præsidis *Spec. plant.* enumeratæ, sufficienter distinguuntur, attendendo scilicet ad

eas, quæ caulem habent *annuum*, aut *perennem* ut Marum hoc nostrum.

eas, quæ *axillas* proferunt *multifloras*, aut *unifloras* ut Marum nostrum.

eas, quæ *folia* possident *figura varia*, *crenata*; aut *ovata integerrima* ut in hoc Maro.

eas, quæ *foliis* gaudent *fissis*, vel *integris* ut etiam nostrum Marum.

eas, quæ *calycem* ferunt *bilabiatum*, aut *quinquedentatum* ut habet Marum.

Diffe-

Differentia inde emergit ſpecifica, quæ habetur in Syſt. nat. 13. p. 439. & Mant. 409.

TEVCRIVM *Marum*, foliis integerrimis, ovatis, acutis, petiolatis, ſubtus tomentoſis, floribus racemoſis, ſecundis.

§. VII. LOCVS &c.

Habitat Marum in SOLO calido, ſicco, ſabuloſo & duro. Per totam fere æſtatem floribus luxuriat, ſive in ollis, ſive ad feneſtras reponatur.

PATRIAM autem agnoſcit Hiſpaniæ Provinciam *Valentinam*; etiam frequens eſt in Inſula una Stoechadum, *Pomponia* vocata, Gallice *Portecroz*. In *Aſia* ad *Cyzicum*; in *Creta*; *Aegypto*; *Syria*, & *Græcia*, ubi olim *Magneſia*, invenitur.

In plurium eſſet votis, ut copioſior etiam redderetur CVLTVRA hæc planta prænobilis, apud noſtrates.

Scaniæ orientalis Clima Maro eſſet convenientiſſimum; multiplicatur vero aut *ſeminibus*, aut *ramulis depactis*; inque terra *teneatur* prægnante; ſupra ventrem equinum, vel ſub feneſtris, uti Melones aluntur. In ollis conſervatur per hiemem in frigidario, ne gradum congelationis ſentiat. Nec lucri cauſſa fefellerit ſpes, ſiquidem uncia foliorum thal. 4. cupr. æquat, ſecundum Taxam Holmienſem. Cavendum vero probe a Felibus; odore enim iis pergrato, Nepetæ aut Valerianæ jucundiori, alliciuntur; abblandiuntur; lambunt, decerpunt, comedunt; quin ſaliva ſua contaminare, eamque conterere, ſtudent; quod dudum Joh. Bauhinus, aliique, notarunt.

§. VIII. PRÆPARATA &c.

In *Officinis Essentia* quidem Mari habetur, ast in usum rarius vocatur; nam male clausa, virtutis sæpe expers est.

Conserva rarissime occurrit, ob defectum plantæ recentioris.

Oleum destillatum essentiale apud nos non obtinet, Batavis autem maxime expetitum & familiare est.

Herba cum toto, ut ajunt, in Pharmacopoliis prostat; sed *Folia* & *Flores* inprimis serventur, & vitreis vasis probe inclusa teneantur, ne volatile eorum perdatur; in hoc enim vertitur cardo rei, ut semper suo præstantissimo odore gaudeat Marum, si votis respondere usum velimus.

Pauperibus nimis esse pretiosam plantam, quisque objiceret; in promtu autem est responso: nam & cultura uberior reddi potest, & ex Europæ regionibus meridionalibus advehi nobis poterit, ubi serpylli instar apud nos, copiosissime crescit.

PRÆPARATA apud Auctores e Maro varia occurrunt.

Ex foliis & summitatibus floridis ope Spiritus vini, Aquam Reginæ Hungariæ longe superans, *Spiritus odoratissimus* elicitur *b*). *Sal volatile* aromaticum, e foliis, parari posset *c*). *Oleum destillatum essentiale*, methodo eadem ac in destillando oleo Juniperi e Baccis, aut Menthæ ex Herba, acquiritur; dictitante *Geoffroy*, qui etiam analysin Mari chemicam, breviter hic loci tradendam, ita sistit: ex

b) *Boerhaav. Lgdb. p.* 262.

c) *Quincy Pharm. extemp. & officinalis.*

ex foliorum & summitatum floridarum lib. ij, ℥iij, *per retortam distillatarum, humoris limpidi, sub finem rufescentis: odore ac sapore pergrato, primum obscure acidi, deinde magis austeri, lib. j,* ℥viij, ʒiß, *gr. vj, humoris empyreumatici & salsi* ʒvjß *gr. vj, humoris denique rufi, sale volatili urinoso impraegnati unc. j.* ʒj; *olei tam tenuis, quam crassi, unc. j*ß *prodiere. Massae residuae* ℥iv, *sal alcali* ʒiij *gr. xxiv dederunt d). Theriacam, Trochiscos hedychroos* Galeni & Aëtii, *Extractumque Marocostinum* Mindereri, nec non *Pilulas e Maro* Pharm. Lond. Marum ingreditur; tam parva licet mole; ut nullo jure utilitatem quandam Maro tribuendam esse existimaverim.

Interne Maro utimur forma *Pulveris, Pilularum, Electuarii,* aut *Infusi vinosi,* numquam vero *Decocti;* sed in *substantia* potissimum; dosis a ʒß ad j erit. Oleum destillatum saccharo exceptum, apud Batavos summi est usus, ut Geoffroy habet l. c.

Externe Marum adhibetur in *Cucuphis, Fomentationibus, Epithemate, Suffimentis, Capitiluviis, Unguentis nervinis,* & *Pulvere nasali,* Tabaci instar sumendo. Oleum stillatitium apud Belgas ut cephalicum gratissimum capiti applicatur, teste Geoffroy l. c.

§. IX. QVALITATES

jam consideraturi erimus.

SAPOR amarus est, insigniter acris, seu pungens.

ODOR gratissimus, penetrantissimus, & sale abundans volatili; *cui nec ars, nec natura, simile dedit;*

d) *Geoffroy Mat. med. tom. III. p.* 822. *& seqq.*

dedit; foliis nimirum inter digitos contritis, naribusque admotis, odore aromatico, (rectius: ſpirante) *pungente, ſubtiliſſimo, æthereo, ſale tamquam ammoniacali, ipſum afficitur cerebrum, ita ut ſternutationes fere excitentur e).*

Ad *Spirantes* ergo pertinet Marum, quorum facile eſt princeps *f*); odore enim gaudet fere *Thymi, Saturejæ, Rosmarini, Lavandulæque;* his autem longe antecedit; nec *Thymus Maſtichina* odore ſuo camphorato palmam Maro præripuerit, quamvis nomine Mari veri venerit apud Auctores, & noſtrum ab ipſis Pſeudomarum vocatum fuerit *g*).

Plantæ vero ſpirantes pleræque ordine ſunt VERTICILLATÆ, a *Ziziphora* usque in *Horminum* numeratæ.

Pollent autem, plus minus, oleo eſſentiali volatili, ſuaveolenti, vaſis difficillime incarcerando, quod ex olidis globoſis pyxidibus, ſub poris foliorum latitantibus, fumant; quodque ſugax olens, in noſtro Maro, validiſſimum eſſe, quemquam inficias iturum non crediderim *h*).

§. X.

e) *Boerhaav. Lgdb. p.* 262. *Geoffroy l. c.*

f) *Clavis Medicinæ G. D. Præſ. p.* 22.

g) Folia Mari chartam cæruleam rubro tinxiſſe colore, teſtatur *Geoffroy l. c.*

h) Apud *Rajum hiſt. pl.* 520. ſequentia leguntur: *Deodatus in deſperato menſium fluxu, ultimum & præſentiſſimum remedium ducit pulverem corticis Mari cum vino auſtero, ſingulis matutinis horis propinatum.* Sed hoc per errorem irrepſiſſe ſciat lector, & pro *Mari* legendum eſſe *Mori;* diverſiſſimum medicamentum.

§. X. VIRES.

Ad VIRES a qualitatibus consequentia valet. Ergo secundum *olidam* qualitatem, Marum in nervos acturum esse, facile quisque intelliget.

Analepticum summum est, & systema nervosum debilitatum, torpidum, languidumque excitat; namque vitam quasi inflat; flammulam vestalem inconspicuam auget; luculamque vitalem serenando & roborando, vires suas exserit; & præstans est.

Citissime vires refocillat vitales, ut *Cordiale* optimum. Sicut enim cor caussa est princeps omnium illorum motuum, unde vires vitales æstimantur, systema autem nervosum caussa primaria roboris cordis, unde vis motrix ejus ab influxu nerveo dependet: sic auxilia, huic vitali indicationi satisfacientia, merito vocantur *Cordialia* aut *Cardiaca*. Non mirum ergo, si horum in numero Marum collocemus, jure quidem optimo; *ei nimirum inest diffusus odor suaveolens, lenis & unicuique tolerabilis* i).

A nervis vero siquidem dependet & cordis & viscerum activa vis, musculorum elasticitas, secretio & excretio, & solidorum robur; quodnam igitur hæc omnia efficere valuerit, nisi nervinum medicamentum? Jam vero summum est *Nervinum* Marum nostrum; adeoque vel sponte patebit, *Diaphoreticum*, *Diureticum*, *Emmenagogum*, *Roborans* id esse, & in omni *Debilitate* præstantissimum se præstare. Quo respectu etiam, si *hoc*, & huic proximum *Cinnamomum*, excipias, in tota quanta Materia medica vix majus remedium superrerit; a Maro differt autem Cinnamomum eo, quod in Febre noceat,

i) *Boerhaav. Inst. Med.* p. 491.

noceat, æſtumque in corpore augeat, Marum autem non ita. Immo, cum Hannibal ante portas, & Medico opus eſt induciis, per uſum hujus divini medicamenti ſpiritus exules revocare poteſt, poſteaque caſtra movens contra hoſtem invaſurum, arma idonea et optima adhibere.

Reſolvens primarium eſt itidem Marum. Nam ut reſolutionem fieri exiſtimamus, cum per oſcillationem nervorum auctam, in fibris muſcularibus oriantur nixus & renixus, unde conquaſſetur, & quaſi tenuis reddatur ſtaſis illa humorum, inflammationi ortum debens: ita remedium huic inſervitutum ſcopo, Maro aptius, nullum dari, quemquam inficiari non putaverim.

Sapidam ſecundum qualitatem minoris quidem æſtimandum eſt Marum; in fibras tamen, vt *amarum*, agit *tonici* inſtar, & in fluida agendo, *balſamicum* eſt; inſigni ſua acredine etiam *incidit* & *ſtimulat*. Ergo putredini reſiſtit, bilem auget, ſtomachicum eſt, orexin juvat, ſecretiones urget, viſcidum attenuat, lentorem tollit, & quæ reliqua ſunt.

Quanquam igitur Cl. Wedelius, tamquam *analepticum*, *cordiale*, *vires refocillans*, *balſamicum*, *incidens*, *errhinum*, *emmenagogum*, *carminativum*, *uterinum*, *diureticum*, *diaphoreticum*, *antaſthmaticum*, *expectorale*, immo *polychreſtum*, Marum noſtrum extollit: juſto tamen majoribus encomiis eum laudaſſe hanc plantam, ut nimis feſtinanter autumat D. Geoffroy, non crederem.

Certe ſi accuratius, ad unguem ut dicunt, qualitates huius plantæ perveſtigaſſent Medici, & inde ad vires concludere voluiſſent: dudum in frequentiori uſu Marum noſtrum receptum eſſet.

§. XI.

§. XI. VSVS.

Patere hinc arbitror, ſua Marum non eſſe defraudandum laude in morbis DEFECTIVIS & SOPOROSIS; ſcilicet *Languore*, *Lipothymia*, *Paralyſi* & *Apoplexia*, præſertim a cauſſa frigida, vel ubicumque demum *debilitas virium vitalium* adeſt. *Epilepticis*, *Lethargicis*, *Hyſtericis*, *Chloroticis* & *Hydrope thoracis*, *Aſthmate humido*, *Catarrho*, *Scorbuto frigido*, aut *Cephalalgia habituali* laborantibus maxime inſervit. In *Memoriæ* & *Olfactus defectu*, & *Vertigine ſenili*, non minus conducit *k)*. *Menſtruorum ſuppreſſioni*, plerumque a debilitate ortæ, inprimis Marum inſervire, experientia docuit.

CASVS quosdam, ad illuſtrandam Mari veri efficaciam, afferre, heic loci haud ineptum duco, ut quid valeat hæc planta prænobilis, unicuique ante oculos ponatur.

Conſiliarius quidam Regiæ Cancellariæ, ſeptuagenarius, ſubito corripiebatur morbo gravi, & inter orci cancellos fere hærebat. Præſentes, & Medici, de ſalute recuperanda fere deſperantes, inertes erant ſpectatores. Pulſus tam debilis erat, ut vix percipi poſſet; æger nec loqui, nec ſe movere valebat; cum ſtertore reſpiratio peragebatur. Forma electuarii jam Medicus quidam dedit drachmam ſemis Mari veri, quod quidem ſine difficultate non deglutitum fuit. Tamen hoc aſſumto facilior evaſit reſpiratio, oculos movebat æger, & pulſus multum augebatur. Tribus præterlapſis horis eamdem aſſumſit doſin, unde ita ad ſe rediit, ut in lecto ſedens, loquutus ſit. Die ſequenti iterum eodem uſus eſt remedio; & poſtea per ſesquiannum

k) Boerhaavio, Geoffroy, Wedelioque teſtibus, l. c. & aliis.

annum recte, prout tulit effoeta senectus, valuit. Exacto autem hoc temporis spatio in eumdem incidit morbum, apoplexiæ haud absimilem, sopore excepto; idemque remedium in subsidium ductum saluti ipsi fuit. Denique tertia vice cum novos morbi insultus passus esset, Medico ejus absente, e vita discessit.

Theologiæ Doctor quidam doctrinæ exquisitissimæ, asthmate angebatur suffocativo, ab Hydrope pectoris. Marum adhibitum effecit, ut, qui antea in lecto sedens noctes ducere insomnes coactus fuerit, jam placide quiescere possit.

Judex provincialis ætate provectus, eodem fere morbo cruciatus, variis incassum tentatis remediis, Marum ex præscripto Medici cujusdam sumsit. Proximo die, se noctem transegisse placidam, optimeque valere, narravit, & formulam Medico demonstravit, cui ipse adscripsit: probatum est. Per duas deinde septimanas Maro summo cum levamine usus est.

Vir secularis, vereque doctus, cujusque obitum literatus orbis graviter conqueritur, complures per annos morbis conflictatus fuit chronicis, quibus tussis violentissima successit. Vires defecerunt, & nihil exscreare potuit; suffocationis metus sub unaquaque aggressione aderat. Cum jam omnes consilii expertes essent, Marum Medicus propinavit ægro, & quidem illo cum successu, ut, exscreatione valde promota, ante finem diei sequentis tussis omnino cessaverit.

In Paralysi etiam contemtui non habendum est Marum, licet nihil valuerit, cum extravasata materia ad spinam dorsi descendens, medullam omnino compressit.

Famulus Illuſtriſſ. Comitis & Senatoris Hård, poſt hæmoptyſin ex pectore laborabat, jamque extremos, ut videbatur, ducebat ſpiritus. Medico, qui aberat, in urbem redeunte, urgebant adſtantes, ut remedium aliquod fere agonizanti præſcriberet. Deſperata licet res viſa eſſet, tamen, ubi unica ſit via ſalutis, eam tentare fas eſt; Marum itaque forma Mixturæ, ex officina Sahlbergiana petitum eſt; & prima doſis ægro porrecta per os elapſa, ſecundam tertiamque autem eo cum ſucceſſu deglutiit, ut intra dimidium horæ ſpatium erectus ſedere potuerit & loqui; &, quod omnem fere fidem ſuperat, integre convaluit, per decennium & quod excurrit ſuperſtes.

In Menſtruis ſuppreſſis, Marum cum martialibus nuptum, ipſe quid valuerit expertus ſum.

Sudoribus nocturnis valde adflictus fuerat Phthiſicus quidam; Marum vero cum Conſerva Cerefolii verſus noctem ſumtum, ad tuſſim leniendam, exſcreationem promovendam, & ſudores debilitantes tollendos, certiſſime valuit.

Dolendum tamen, quod Marum, & reliqua Spirantia, inſtar ſervi fugitivi Chemicorum, adeo volatilia ſunt, eorumque effectus citius pereunt.

Plura ut taceam, etiam atque etiam Medicos rogatos volo, ut, quid efficiat Marum ad vires vitæ augendas & ſuſtentandas, experiantur; fidemque do, eos numquam ſpe fruſtratum iri.



CLXV.

VIOLA IPECACUANHA

PRÆSIDE

D. D. CAR. v. LINNÉ

proposita

ab Auctore

DANIELE WICKMAN,

Caroli coronensi.

Upsaliæ 1774. *Decembris* 16.

Nemini mirum videatur, me hoc tritissimum Medicamentum, Ipecacuanham, quod omnibus Medicis notum est & quotidie usurpatur, dissertatione Academica illustrare voluisse, præsertim cum nihil fere dicere queam, quod non a multis Medicis & Materiæ medicæ scriptoribus, iisque doctissimis, dictum sit prius. Adeo enim hoc est efficax atque heroicum, utpote quod, rite adhibitum, rarissime spem fallit; unde mihi dignissimum videtur, quod præ aliis multis excolant & rationem originis explorent Medicinæ alumni. Hoc igitur pharmacum, huc usque a Botanicis satis neglectum, neque adeo omnibus adcurate cognitum, breviter describere constitui.

De

De prima Ipecacuanhæ origine ſeu detectione non operoſe diſſeram, cum hanc optimus materiæ Medicæ ſcriptor *Geoffroy*, *Mat. med. tom.* 2. *p.* 89., adeo dilucide expoſuerit, ut non niſi pauciſſima addenda videantur: „ Ipecacuanha, inquit, eſt præſtantiſſimum Dyſenteriæ „ remedium, in novo orbe repertum, circa medium ſeculi præteriti: deſcriptum fuit a *Guilielmo* „ *Piſone* in ſua Indiarum hiſtoria, a quo tum & a „ *Marcgravio* e Braſilia in Europam delatum fuerat. „ Altis tamen tenebris obſitum, & in Gallia noſtra „ incognitum remanſerat, ad annum circiter 1672, „ quo cum *D. Legras* Medico, qui ter Americam „ peragraverat, Lutetiam pervenit. Verum illius „ virtute nondum comperta ſatis, per plures an„ nos oblivioni traditum fuerat, usque dum circa „ annum 1686, a peregrino quodam mercatore „ *Garnerio* dicto, iterum huc allatum eſt. Cum „ autem vires illius ſingulares ab hoc mercatore „ prædicarentur, ab *Adriano Helvetio*, Facultatis „ Rhemenſis Medico, in uſum feliciter revocatum „ eſt; ab eoque tantum theſaurum ſibi & civibus „ comparare voluit *Ludovicus Magnus*, cujus mu„ nificentia publici juris factus eſt Ipecacuanhæ „ uſus. „

Plures Ipecacuanhæ conſtituit ſpecies, Fuſcam, Albam, Peruvianam ſeu Cineream, quibus addit Virginianam, Canadenſem & Americanam. Improprie dictas Ipecacuanhas, ut *Virginianam* ſeu Spiræam trifoliatam, *Canadenſem* ſeu Euphorbiam Ipecacuanham, & *Americanam* ſeu Pſoraleam glanduloſam lubens prætereo, *Fuſcam* tantum explicaturus Ipecacuanham in pharmacopoliis noſtris ordinariam.

Descriptio.

Radix eſt filiformis, ſubannulata, annulis elevatis aſpera, pulpoſa, dilute fuſca vel cinerea, friabilis, reſinoſa, nervo medullari longitudinali; denſa & dura.

Ex America auſtrali, nempe Braſilia, Peru & Mexico, quotannis magna copia in Europam aſportatur.

Botanica.

Ad plantam hanc recte cognoſcendam Botanici recentioris ævi multam adhibuerunt operam, cum deſcriptio & delineatio Marcgravii ſeu Piſonis inſufficientes, parum lucis adferant.

Marcgrav. braſil. p. 17. Ipecacuanha.

Piſo braſ. p. 101. Ipecacuanha. Uterque & Marcgravius & Piſo flores ipſi albos tribuit & baccas rubras aut fuſcas, eandemque ponit uterque figuram.

Rajus in hiſtoria 1. *p.* 669. hanc exiſtimat *Paridis* ſpeciem.

Plukenet alm. p. 288. Periclymenum parvum.

Moris. hiſt. 3. *p.* 535. Loniceræ ſpeciem faciunt: nemini ex his forte fuit viſa.

N. D. Præſes in *Horto Cliffortiano p.* 486. OURAGOGA: Specimen reperit Ipecacuanhæ exſiccatum, quod ibidem ita deſcribitur: *Cal.* Perianthium quinquepartitum, laciniis lanceolato-linearibus, æquale, perſiſtens. *Cor.* quinquefida. *Stam.* quinque. *Piſt.* Germen intra calycem & corollam. *Styli* numero incerti. *Per.* Bacca ſubrotunda, unilocularis, calyci inſidens, umbilicata. *Sem.* tria, oſſea, hinc gibba; inde angulata, approximata in globum, unilocularia, ſingula ſex ſulcis exarata. *Radix* longiſſima. *Caulis* rariſſime ramoſus, decumbens,

bens, inferne nudus. *Folia* verſus apicem caulis oppoſita, obverſe ovata, utrinque acuta, ſcabra, ſubtus pallidiora, duorum pollicum latitudine, internodiis caulis vix pollicis longitudine.

Barrer. æquin. p. 113. VIOLA grandiflora, Veronicæ folio villoſo. Hic primus eſt, qui ad genus VIOLÆ eam retulit, cujus hæc eſt deſcriptio: „Planta hæc, cujus hactenus ignotus extitit character, adeo quoad partes ſuas eſſentiales VIOLÆ eſt ſimilis, ut hanc ab illa ſeparandam non crediderim. *Flos* ejus albus, tripetalus: Petala duo ſuperiora, alarum nomine haud inepte inſignienda, ſunt admodum anguſta, pollicaria, falcata, ſe uniendo labium emarginatum referentia, & fere penitus intra calycem incluſa. Petalum inferius maximum, unum digitum & duas lineas in latitudinem, ſeptem vero lineas in altitudinem protenditur; inſertum fundo calycis cauda quinque lineas longa, antrorſum cadit collaris inſtar, ſeparatum autem a ceteris floris partibus, faciem quodammodo tuditis præ ſe fert. Calyx parvis obſitus eſt pilis, ad baſin usque in partes quinque, longitudinis fere quinque linearum diviſus, & Piſtillum quatuor lineas longum, tectum ſtaminibus flaviuſculis, parvas antheras geſtantibus. Marceſcente flore, piſtillum hocce fructus evadit ſeu Capſula ovalis, acuminata, primum viridis, poſtmodum albida, quæ matureſcens in tres partes ad apicem dehiſcit, & ſemina plura, parva, alba, rotunda, ſeminibus Oxyos luteæ ſimillima habet. Folia plantæ hujus venis eleganter intexta & pilis tam circa margines quam ſubtus conſperſa, foliis Pulegii comparat Piſo, ſed accedunt propius ſimilitudine ad folia Veronicæ maſculæ. Leniter agit hæc planta, ut teſte ipſo Piſone eam infantibus

„ atque feminis uterum geſtantibus propinare li-
„ ceat. „

Allamand, Chirurgus & Botanicus curioſus, qui Surinamum ſæpius adiit, in litteris ad N. D. Præſidem datis, illam ut veram Violæ ſpeciem deſcripſit: *Caulis* eſt filiformis, ſerpendo ſcandens ſepes, *Folia* alterna, remota. *Pedunculi* ſolitarii, uniflori, articulati, incraſſati: *Bracteis* 2, minutis. *Calyx* poſtice minime protruſus. *Corolla* alba. Petalum ſupremum incumbens maximum, hinc corolla quaſi ringens galea trifida. Pet. lateralia adſcendentia. Petala infima minora deorſum flexa, horum ſupremum poſtice exit in nectarium ſeu calcar longiſſimum, contortum. *Stamina* 5, horum 3 anteriora ſterilia; 2 poſteriora fertilia.

Vandelli, Profeſſor hiſtoriæ naturalis Ulyſſiponenſis, edidit *Faſciculum* 1771. 4:*to*, ubi venuſtam exhibet figuram Violæ Ipecacuanhæ, ſecundum plantam vivam, quam in horto ſuo ſeminavit atque excoluit. Cum vero hic libellus non ubique forte ſit notus, deſcriptionem heic adjiciam.

POMBALIA ipecacuanha. *Vandell. faſcic.* 1771. *p.* 7. *tab. I.*

Habitat in Braſilia. ♄.

Radix fibroſa (ſed diverſam ſatis pingit ab Ipecacuanha officinali), alba, ramoſa.

Caules bipedales, erecti, teretes, læves, ramoſi.

Folia alterna, petiolata, elliptica, argute ſerrata, glabra.

Petioli breviſſimi: *Stipulis* binis, ſcarioſis, lanceolatis, carinatis, ariſtatis, piloſis.

Flores laterales, ſolitarii, pedunculati, cernui, pedunculo foliis multo breviore.

Bracteæ

Bracteæ in medio pedunculo binæ, breviſſimæ, lanceolatæ, apice piloſæ.

Calyx pentaphyllus, margine muricatus.

Petala quinque, alba: duo calyce breviora, linearia; duo paulo longiòra, reflexa, emarginata; unum maximum, retuſum, latum, baſi gibbum absque calcari, ſubtus pubeſcens. Reliqua vide Vand. l. c.

Ex omnibus hiſce recentiorum deſcriptionibus patet, Ipecacuanham ſpeciem eſſe *Violæ*, ſed diverſas ſimul ſpecies eſſe, deſcriptio D. Allamandi & Vandellii monſtrant, unde fortaſſis orta eſt differentia, quam inter Ipecacuanham fuſcam & albam Medici conſtituunt. Interim eundem præſtant effectum, ut in aliis plerumque ſit plantarum generibus & familiis. Novimus etiam ipſas Violas noſtras perennes eandem fere vim vomitoriam radicibus habere inditam, ut infuſæ ἄνω καὶ κάτω ſæpius purgent.

Priorem Ipecacuanham Piſonis & Ouragogam N. D. Præſidis, eandem forte ſpeciem eſſe, caule decumbente probabile videtur, perinde atque eadem Piſonis & Barrerii ſpecies eſt foliis villoſis. Ob calcar longum corollæ Allamandi (calcari longiſſimo) ſpecies ſine dubio diverſa eſt a Pombalia Vandellii, quæ calcari deſtituitur: præterea nec Piſo, nec Marcgravius calcar nominat aut delineat, quod minime præterire potuiſſent, ſi illud obſervaſſent. Atque hæc fuit cauſa, cur N. D. Præſes in Syſt. Naturæ edit. 13. p. 669. *Ipecacuanham* Barrerii a *Viola diandra* Allamandi diſtinxerit.

Violæ maxime adfines ſunt Lobeliis. Lobéliæ illæ quæ a Cel. D. Prof. Bergio Cyphiæ dicuntur, habent corollam quinquepartitam ſ. pentapetalam,

lam, ut difficulter dignoſcantur Lobeliæ ab iſtis Violis quæ absque calcari ſunt, quales variæ occurrunt Capenſes. Quam venenatæ ſint Lobeliæ, Lobelia longiflora ſuo exemplo docet, de qua Jacquin. Americ. p. 220. *)

Hæc ipſa qualitas venenata aliquantulum temperata in affine ejus Ipecacuanha operatur. Vomitoria enim & purgantia ſunt naturæ inimica, quæ noxia motibus convulſivis e corpore expellere conatur. Si venenum hoc ſtatim in ventriculo ſolvitur, ſit Vomitus: Si vero in inteſtinis tandem ſolutum fuerit, Purgans evadit. Adeoque ubi præſcribitur, evacuantur primæ viæ, & ſimul contenta ejiciuntur maligna, quæ in ventriculo hærent.

Geoffroy radicem Ipecacuanhæ fuſcæ duplo majorem *Gummi* quam *Reſinæ* quantitatem continere, ſed vim ejus Reſinoſam potenter, Gummoſam vero leniter agere demonſtrat. Gummoſam quoque partem ad Dyſenteriam curandam plus conferre exiſtimat ille, quam reſinoſam, quod tamen, nec ſine cauſa, in dubium trahitur.

Doſis Ipecacuanhæ communiter a ſcrupulo uno ad drachmam ſemis numeratur; ſed ſæpe longe minori doſi parem exſerit effectum. Sumimus itaque Pulveris Ipecacuanhæ ſcrupulum unum aut ultra, Tartari tartariſati Grana octo, Aquæ fontanæ unciam ſemis, quæ inter ſe miſcentur, unde æger cochlear 1. haurit ad octavam quamque horæ par-

*) Tota, inquit, planta venenoſiſſima, interne ſumpta, hypercatharſin creat, nullis remediis cedentem, tandemque lethalem. Equus hanc ſi comederit, rumpi medius fertur, unde Americanis equorum diſruptor ſeu Rebenta Cavallos.

partem, usque dum vomitus ſubſequatur, qui ſic hypercatharſin excitare nequit.

Radicem diu pulveriſatam Pharmacopolæ, ſi conſervare rite voluerint, intra vitra aſſervent clauſa, ne vis præcipua evolet, quin & radix ipſa optime vaſis clauſis aſſervanda. Caveant operarii pharmaceutici, ne, dum in pulverem Ipecacuanha redigitur, pulviſculos volitantes halitu attrahant: ſic enim facile Anginam, Hæmoptyſin, Aſthma, Hæmorrhagiam contrahunt, quæ tamen mala per ſe intra biduum ceſſant.

Radix vomitorium eſt inter detecta hucusque tutiſſimum atque mitiſſimum, unde præ ceteris commendari & tenerrimis etiam infantibus propinari poteſt. Præterea per alvum leniter purgat, ubi ad inteſtina pervenerit.

In diſſertatione de *Purgantibus indigenis*, N. D. Præſes Violas quidem & quasvis violæ radices loco Ipecacuanhæ tentandas proponit. Nemo autem, quantum ſcio, hujus rei experimenta fecit, præter Cel. Prof. Bergium, qui optimo eas adhibuit ſucceſſu. Mihi vir Clariſſimus narravit, ſe ex eadem planta tam viva, quam marceſcente, infuſum obtinuiſſe aquoſum, quod mucilaginoſum eſt, odore propemodum aurantiorum, quodque poſt unum vel alterum vomitum etiam alvum purgat. Ex planta vero ſicca infuſum minus mucilaginoſum evadit, minime emeticum & parum laxans.

QUALITAS. *Sapor* hujus radicis eſt nauſeoſus, amaricans & leniter pungens.

VIS. Emetica! ſudorifera; corroborans & adſtringens.

USUS ejus præcipuus fuit atque etiam nunc eſt in *Dyſenteria*, qua graſſante adeo copioſe præ-

ſcribitur, ut pharmacopolia hoc remedio plerumque evacuentur. Materiam enim expellit morbificam, & ſimul necat contagium, ſine dubio animatum.

In *Febribus* Criticis, Intermittentibus & Exacerbantibus, ad purificandas primas vias apud nos & exteros frequentiſſime uſurpatur, maxime ante uſum pulveris Chinæ, quo felicius vires ſuas exſerat.

Adverſus *Leucorrhoeam* eandem laudat N. D. Præſes in ſua Materia medica.

In *Menorrhagia* ſeu Hæmorrhagia uteri ſummo eandem ſucceſſu adhibuit Medicus *S:æ R:æ M:s* D. Doct. *Nicol. Dahlberg*, ad tertiam aut quartam grani partem, hora quavis tertia aut quarta datam. In *Tuſſi catarrhali* & *phthiſica* etiam eandem extollit in Actis Academiæ Regiæ ſcientiarum Holm. pro A:o 1770. p. 316. Vir ampliſſimus eandem laudibus effert, eo quod expectoratio reddatur facilior, unde morbus mitigatur, quamvis non purget. In *Peripneumonia* & *Pleuritide*, refracta doſi, maximo cum fructu Ipecacuanha commendatur.

Confirmat hanc ſententiam Medicus acutiſſimus D. Doct. *Gabr. Lund*, qui ſimul teſtatur pulveris Ipecacuanhæ gr. ij aut iij, admixtæ Theriacæ ſcrup. ſemis ad formam boli, quod tertia quaLibet hora propinatur Phthiſicis, qui *Diarrhoea colliquativa* laborant, optatum plerumque præſtare effectum.

In *Tuſſi convulſiva* infantum, quæ ut lues epidemica ſemper infantibus hoc morbo nondum vexatis eſt contagioſa, eximium hæc etiam præſtat effectum. Inter præparata, quæ ex hac in pharmacopoliis proſtant, maxime commendatur Tinctura ipeca-

Ipecacuanhæ Pharm. Edinb. quæ & ſimplici methodo eſt confecta & infantibus facillime ingeritur. *Doſis* eſt drachma quovis horæ quadrante, donec oritur vomitus. Propinetur autem infantibus, ſub remiſſione paroxyſmi. Qui curationem morbi hujus ulterius cognoſcere cupit, adeat librum Archiatri p. m. Roſén von Roſenſtein de morbis infantum, nec non Aſſeſſoris celebratiſſimi Doct. Strandbergii diſſertationem de eodem morbo ſolidiſſimam, actis Academiæ Regiæ ſcientiarum Stockholmenſis Anno 1749. p. 251. inſertam.

Vermibus infantes plerumque infeſtantur. Symptomata, quæ hos comitantur, graviſſima, non exiguam Medico ſollicitudinem injiciunt, maxime ſi convulſiones ſimul adfuerint. Inter remedia huc usque uſitata, quantum mihi notum eſt, vix efficacius & tutius eſt, emetico ex Ipecacuanha, per quod dolores ſæpe & repente quaſi ceſſant. Quamvis per emetica hic morbus radicaliter non tollatur, Medico tamen moram parant fortiora adhibendi anthelminthica. Sæpius obſervatum eſt, vermes per convulſionem emetico factam, ventriculum aut inteſtina tenuiora deſerere fuiſſe coactos; interdum etiam deleterio hoc ipſis veneno, debilitati, per alvum ejectos fuiſſe. Vid. *Vogelii diſſert. de uſu Vomitivorum ad expellendos vermes* Gott. 1765.

In primo ſtadio *Rubeolarum* optatum quoque Ipecacuanha præbet uſum, atque in *Aſthmate* præſtantiſſimum eſt remedium, ſi viſcidum tenax pulmonem aut ventriculum gravat.

In hoc vero & ceteris emeticis uſurpandis, plus ſane noxæ quam utilitatis ægro adferimus, niſi natura ipſa, ſapore oris amaro, anorexia, debilitate,

tate, inquietudine, Cephalalgia & Vertigine atque ad vomitum proclivitate, medicamentum emeticum indicaverit esse necessarium. *Plethorico*, emetica non nisi post venæsectionem sunt præscribenda; nec illis unquam porrigenda, quorum constitutio corporis infirma violentam evacuationem ferre nequit, nec Hæmoptysi laborantibus, neque Herniosis & quorum sanguis aut humores ad caput vel ad pulmones tendunt. Gravidis etiam non sine maxima circumspectione vomitoria commendamus, probe memores canonis istius: *Medicamenta* HEROICA, *in manu imperiti, sunt uti gladius in dextra furiosi.*





CLXVI.

PLANTÆ SURINAMENSES

QUAS

PRÆSIDE

D. D. CAR. v. LINNÉ

proposuit

JACOBUS ALM,

Uplandus.

Upsaliæ 1775. Jun. 23.

Scientia crescit in dies, & inventuris inventa non obstant.

SENECA.

Felicitas scientiæ botanicæ hujus seculi per disciplinam systematicam maxima cepit incrementa, ubi plantas ex interna structura, seu metamorphosi, cognoscimus, atque inde eas in Classes, Genera & Species distinguimus. Superiori seculo sufficere videbatur, si plantas doctissimi C. Bauhini nominibus determinare quis posset; & quamvis vix plures, quam Europææ plantæ tum essent cognitæ, memoria tamen in nominibus detectorum vegetabilium exprimendis ac retinendis vacil-

vacillabat. Hinc Botanicam ſcientiam quisque abhorrebat, cum tot nominibus, memoria ſervandis vix ullus parem ſe judicaret. Proprio igitur pondere hæc cecidiſſet ſcientia, niſi methodum plantas ad propria Genera reducendas detexiſſent Botanici, unde introductus canon: *quæcunque plantæ Fructificatione conveniunt, Genere quoque conveniant: & quæcunque Genere conveniunt, Nomine quoque conveniant.* Poſtmodum Botanici ad plantas Aſiæ, Africæ & Americæ remotiſſimas ſua extenderunt pomœria, atque ex earundem fructificatione plurima nova formarunt genera; unde Botanica ſcientia eam adepta eſt facilitatem, ut ope ſyſtematis, planta quævis, quoties requiratur, proprium quaſi nomen det. Plantas exoticas hoc ævo ſollicite conquiſiverunt Botanici, maxime cum earum plurimæ in hortos noſtros Botanicos nondum potuerint inferri: ſed ſpeciminibus exſiccatis, contortis, & mutilatis fuerit ſæpe adquieſcendum, e quibus partes fructificationis minutiſſimæ, optimas ſubminiſtraturæ notas characteriſticas, vix potuere inveſtigari.

REX noſter potentiſſimus atque clementiſſimus GUSTAVUS III:tius, qui felicitati patriæ omni cura proſpicit, & artes ac ſcientias propenſiſſimo fovet ſtudio, circa finem anni proxime præterlapſi, ſtupendam collectionem plantarum Indicarum, maxime ex Surinamo & finitimis in America regionibus, Nob. D:no Præſidi gratioſiſſime donare dignatus eſt, ut orbi rariſſima hæc detegerentur naturæ miracula. Omnes hæ plantæ modo ſingulari & non antea a me viſo conſervatæ erant, nimirum vivæ fuerant in ſolo natali decerptæ, eodemque momento in ſpiritu vini reconditæ, unde partes fructificationis, etiam minimæ, lucide explorari potuerunt, ac ſi in ipſa ſtirpe fuiſſent conſpectæ,

ſpectæ, ſolo colore in petalis parum mutato. Hæc vero citra controverſiam optima eſt plantas in uſum Botanicum conſervandi methodus, ſed ſimul ſumtuoſa, uti hæc collectio, quæ pluribus ſpiritus vini doliis fuit injecta.

Mihi vero, cum cæteris diſcendi cupidis, maxima erat voluptas theſaurum adeo pretioſum intueri atque examinare, ad quem variæ factæ ſunt obſervationes, Botanicorum, ut ſperamus, attentione dignæ. In his tredecim nova ſunt Genera *a*), quadraginta aut quinquaginta novæ ſpecies, quas omnes adcuratius examinare, deſcribere & cum erudito orbe communicare mihi nimis operoſum & hoc in loco ſumtuoſum foret *). Breves igitur has obſervationes botanicas Tuo B. L. candori humillimus commendo.

MONANDRIA.

1. Canna 91. *anguſtifolia.* *Weglopers Hagel.*
2. Curcuma 89. nova. *Warimbo.*
3. Myriſma 64. nova. *Merian. ſur. t.* 54.
4. Myriſma 120. nova.

5. Coſtus

---

a) Nova Genera:

Ignatia.	Sophia.
Pentſtemon.	Guſtavia.
Virecta.	Unxia.
Dodecas.	Aegopricum.
Drupina.	Luffa.
	Pubeta.
Symphonia.	Margaritaria.

*) Harum pleræque in *Supplemento plantarum &c.* a b. *Linneo, Filio*, Brunsvigæ 1781. edito, deſcriptæ exſtant, at quædam ſub aliis, etiam genericis, nominibus; quare, ut deſcriptiones eo facilius evolvi poſſint, non ſuperfluum erit, nomina, quæ ibidem habent, aut ſi diverſa non obtinuerunt, ſaltim paginas, ubi reperiuntur, hic apponere.

2, 3. 4. Renealmia exaltata *Linn. Fil. Suppl. pl.* 19. Myrosma cannæfol. *ib. p.* 80. Maranta comoſa *ib.* ?

5. Coſtus 136. *arabicus.* Alpinia *Jacq. amer. t.* 1. Spica ſtrobili Abietis ſimillima.

TRIANDRIA.

6. Tamarindus 45. *indica.* Stamina monadelpha triandra.

7. Commelina 25. *communis.*

8. Cyperus 28. obſcurus.

9. Cyperus 21. obſcurus.

TETRANDRIA.

10. Ciſſus 38. *trifoliata.* Scandit ſuperatque altiſſimas arbores. Flos ruber. Fructus maturus niger.

11. Scoparia 83. *dulcis.* *Sibiſibi.* Pellit Bufones ex hortis.

PENTANDRIA.

12. Heliotropium 43. *indicum.* Frequens in hortis noſtris.

13. Convolvulus 144. *pentaphyllus.* Scandens. Foliola integerrima, pedicellata. Pedunculi longi, ramoſi. Stigmata duo, obtuſa. Capſulæ obtuſæ.

14. Conocarpus 160. *racemoſa.* *Jacq. amer.* 80. *t.* 53. Folia oppoſita, petiolata, ovalia, coriacea. Stamina 5. Stylus 1. Stigma ſimplex.

15. Muſſænda 166. *formoſa.* *Jacq. amer. t.* 48. Frutex.

16. Igna-

8. 9. Alter forte Fuirena *Suppl.* 105. alterum non reperio;

14. *Suppl.* 146.

15. Gardenia Muſſænda *Thunb. in Act. med. ſuec. I. p.* 143. *Linn. ſuppl.* 163.

16. Ignatia 98. nova. Sarmentum ſcandens. Flos longus, albus, odore Jasmini. Fructus magnitudine pugni, non eſculentus.

17. Coffea 164. *arabica.* Sativa in America.

18. Chiococca 124. *racemoſa.*

19. Ceſtrum 57. *veſpertinum.* Frutex. Uſus pro foco.

20. Solanum 172. *ſcandens.* Calyx breviſſimus, vix diviſus, gibbus. Petala linearia. Folia inermia, ovata. Floreſcentia ſubumbellata.

21. Solanum 128. *racemoſum. Jacq. amer.* 50. *t.* 36. Pedunculi nutantes, apice craſſiores.

22. Solanum 11. *ſubinerme.* Flores Fructusque cærulei.

23. Solanum 163. *mammoſum.*

24. Solanum 127. novum. *Mer. ſurin. t.* 6. Fruticoſum, ſpinoſum. Folia angulata, tomentoſa, utrinque aculeata. Racemi ſecundi. Calyces inermes.

25. Solanum 20 obſcurum.

26. Pentſtemon 141. *Chelonoides.* Herba tripedalis. Flores lutei. In altis arenoſis.

27. Heliconia 88. *Bihai. Wilde Bananas.* Herba 12-pedalis.

28. He-

---

16. Ignatia amara. *Suppl.* 149.
18. Chiococca paniculata *Suppl.* 145. ?
20. Solanum ſcandens. *Suppl.* 147.
24. Deeſt in *Suppl. pl.*
25. Solanum laurifolium *Suppl.* 148. ?
26. Liſianthus Chelonoides. *Suppl.* 134.
27. *Suppl.* 157.

28. Heliconia 13. nova. *Papegojen Beck.*

29. Allamanda 34. *cathartica.* *Ducat beurſie.* Apocynum ſcandens, ampliſſimo flore luteo. *Plum. icon. t.* 29.

30. Plumieria 7. *alba.* Flores ambroſiaci, Cephalalgiam excitantes.

31. Cerbera 26. *Thevetia.* Nuces pro crepitaculis ſ. crepundiis Americanorum ſylveſtrium.

32. Echites 78. *angularis.* *Jacq. amer. t.* 53. an? Corolla annulo elevato circum umbilicum.

33. Echites 126. nova. Arbor. Folia oppoſita, ovata, ſubpetiolata, coſtata. Corolla alba. Stigma Vincæ. Infloreſcentia brevis, faſciculata e ſpicis. Fructus ignotus. Decoctum contra Syphilitidem.

34. Virecta 77. *virens.* Flores rubeſcentes ore albo. Herba tenera. Locus ſubhumidus.

35. Eryngium 9. *fœtidum.* *Slangengras.* Decoctum antifebrile.

HEXANDRIA.

36. Tillandſia 169. *lingulata.* Paraſitica.

37. Pontederia 137. *rotundifolia.* Paluſtris.

38. Crinum 37. *americanum.*

39. Amaryllis 98. dubia. *Mer. ſurin. t.* 22. Corolla baſi laciniarum barbata.

40. Aloë

---

28. Heliconia Pſittacorum. *Suppl.* 158.

29. *Suppl.* 165.

32. Echites annularis. *Suppl.* 166.

33. Echites ſyphilitica. *Suppl.* 167.

34. Virecta biflora. *Suppl.* 134.

37. *Suppl.* 192.

39. Deeſt in *Suppl. pl.*

40. Aloë 118. perfoliata. Vera, officinalis, ex Africa adducta.

41. Achras 75. *Sapota. Sapotillie.* Arbor pulchra, 26. pedum, lactescens. Flos albus. Fructus sapidissimus.

OCTANDRIA.

42. Paullinia 103. *pinnata.* Fructus ruber. Locis siccis arenosis.

ENNEANDRIA.

43. Laurus 50. *Cinnamomum.* Sylvestre. adductum 1756 a Capit. Vesterdahl.

44. Anacardium 31. *occidentale.* Calyx supra Receptaculum carnosum, pyriforme; infra Germen nucis, dorso affixa.

DECANDRIA.

45. Cassia 167. *javanica.* Folia maxima, eglandulosa, 20-juga, utrinque holosericea. Siliquæ bipedales, crassitie brachii tenuioris.

46. Cassia 39. *bicapsularis. Mer. surin. t.* 32. Folia bijuga tantum, glandula rotunda inter infimum par. Bracteæ ventricosæ, subimbricatæ. Siliqua teres, longa.

47. Cassia 19. *alata.* Planta pedum 11. Flores lutei.

48. Cassia 89. *Thora. Slaapers.*

49. Poin-

45. Cassia grandis. *Suppl.* 230.
46. Cassia bacillaris. *Suppl.* 231.
47. Cassia bracteata. *Suppl.* 232.

49. Poinciana 18. *pulcherrima.* 12-pedalis. Emmenagoga: Tinctura ex Herb. M. *iij*. Sem. Num. 20. Dos. uncia *j*.

50. Quassia *amara.* Folia pinnata, foliolis 5, petiolo communi biarticulato. Racemi simplices. Flores hermaphroditi. Fructus 5-cocci. divaricati: coccis monospermis.

51. Melastoma 11. nova. Folia subpetiolata, ovalia, 5-nervia, ciliata, lævia. Racemi floribus sessilibus, secundis, subapetalis, rotundis, lævibus.

52. Jussiæa 168. *erecta.* Caulis teres, simplex. Folia alterna, petiolata, obovata, glabra. Palustris. Annua.

53. Malpighia 95. obscura. *Kirschen.* Rami horizontales. Folia emarginata. Flores rubicundi. Baccæ acidæ, cum saccharo gratissimæ.

54. Malpighia 92. obscura. Arbor. Petala lutea, crustacea. Flores inflexi, racemosi, parvi.

55. Malpighia 33. *bannisterioides.* Folia suprema obtusa. Calyx interior 5-valvis. Petala lutea. Baccæ trifidæ, quod singulare, submuricatæ.

56. Triopteris 86. *jamaicensis.* Germina tria, alata, alis loco petalorum.

57. Phytolacca 66. *octandra.* *Kalalio.* Flores albi. Fructus ruber.

DODE-

51: Melastoma fragilis. *Suppl.* 236.
52. Jussiæa inclinata. *Suppl.* 235.
53. Desideratur in *Suppl. pl.*
54. item. 55. item.

DODECANDRIA.

58. Rhizophora 48. *Mangle. Jacq. amer. t.* 89. Folia oppofita, petiolata, coftata.

59. Blakea 97. *triplinervia. Mifpel.* Differt a Bl. trinervia: Foliis triplinerviis, coftatis, arbore 16-pedali. Flos luteus, intus albus. Fructus luteus, fapidus. Stamina definunt in antheras, nec antheræ filamentis impofitæ.

60. Dodecas 158. nova.

61. Euphorbia 82. *canefcens.* In fyphilitide infufum.

ICOSANDRIA.

62. Plinia 5. *petiolata. Karfebom.* Fructus ruber, fapidus. Flores pedunculati, polyandri. Petala variant 4. & 8. an fexu?

63. Pfidium 40. *pyriforme. Kajave.*

64. Cactus 51. 110. *epidendrum.*

65. Cactus 134. *triangularis.*

66. Cactus 130. *tetragonus.*

POLYANDRIA.

67. Mammea 73. *americana. Mammebom.* Arbor alta, pyramidalis. Fructus fulvus, magnitudine capitis infantis, fapidus; potius Polygama monoica.

68. Marcgravia 62. *umbellata.* Receptaculum poft cafum floris integrum, nec quinquelobum.

 69. Le-

59. *Suppl. pl.* 245.
60. Dodecas furinamenfis. *Suppl.* 245.
61. Plinia pedunculata. *Suppl.* 253.

69. Lecythis 165. *Ollaria.* Folia integerrima, ferrata. Flos Fructusque singulares.

70. Bixa 106. *Orellana. Roku.*

71. Annona 102. *muricata. Wilde Surſak. Mer. ſurin. t.* 14. Calyx cordatus. Fructus muricatus, aculeis recurvis, non eſculentus.

72. Annona 60. obſcura. *Surſak.* Calyx cordatus. Fructus muricatus.

73. Annona 38. obſcura. *Wilde Canelboom.* Calyx cordatus. Fructus ſtrobili ſqvamis acutis.

74. Annona 38. *ſqvamoſa. Tame Canelboom.* Calyx lanceolatus. Fructus Rubi ſqvamis obtuſis, ſapidus. Folia fœtida.

75. Annona 61. *diſcreta. Bijrckeboom.* Calyx linearis. Fructus acini diſcreti, pedunculati, aromatici, ſapidiſſimi. Folia liguſtri. Annonæ vera ſpecies.

DIDYNAMIA.

76. Phlomis 29. *nepetifolia. Brada.*

77. Bignonia 78. dubia. Folia binata ſ. ternata. Calyx bifidus. Corolla lutea.

78. Citharexylon 92. *cinereum.* Paraſiticum, ſcandens.

79. Creſcentia 32. *Cujete. Kalabaſſenboom.*

80. Lantana 8. *Camara. Surinamſche Thee.* Infuſum foliorum florumque ſapidiſſimum, ſudoriferum.

81. Avi-

---

75. Unona diſcreta. *Suppl.* 270.

77. Deeſt in *Suppl. pl.*

81. Avicennia 94. 177. *nitida*. *Karwabom*. Mirabilis in foco flamma & colore. Cotyledones duplicatæ: interioribus pilofis. Flos albus.

82. Drupina 148. *criftata*. Herba fesquipedalis, fimillima Besleriæ criftatæ.

TETRADYNAMIA.

83. Cleome 16. *pentaphylla*. *Altica*. Infufum potum f. fuccus injectus pellit Afcarides.

MONADELPHIA.

84. Symphonia 69. nova. *Malaqvisbom*. Arbor altiffima fucco flaviffimo intra corticem. Flos ruber, globofus. Semina picta.

85. Urena 113. *americana*. Diverfa ab Uren. finuata.

86. Sophia 21. 18. *Carolina*. *Bergnaut*. Petala flava. Stamen feptemfidum filamentis rubris. Stylus ruber. Fructus cucumeri fimilis. Semina efculenta.

87. Guftavia 132. *augufta*. Arbor alta, floribus albis, magnis. Spectatiffima.

88. Hibifcus 80. *tiliaceus*. Folia cordata, fubrotunda, ferrata, fupra nitida. Ad rivos.

89. Hibifcus 55. *efculentus*. *Ochro*. Calyx exterior foliolis fetaceis remotis; interior circumfciffus. Flos luteus. Fructus coquitur ut chocolada in gelatinam.

---

82. Besleria bivalvis. *Suppl.* 280.

84. Symphonia globulifera. *Suppl.* 302.

85. *Suppl.* 308.

86. Carolinea Princeps. *Suppl.* 314.

87. *Suppl.* 313.

90. Hibiſcus 71. *fraternus*. Calyx exterior foliolis mucronatis. Flos luteus. Folia trifida.

91. Hibiſcus 147. *ſororius*. Calyx exterior foliolis cucullatis. Caulis ſubſcandens, fultus arboribus.

92. Hibiſcus 151. *ſalicifolius*. Frutex 10-pedalis. Flores lutei.

93. Hibiſcus 140. *cancellatus*. Herba procumbens, diffuſa.

94. Goſſypium 97. *religioſum*. *Catoenboom*. Goſſypium arboreum. *Mer. ſurin. t.* 10.

DIADELPHIA.

95. Erythrina 93. *criſta galli*. *Mangonie*. Arbor altiſſima ungve ante foliola. Flores inflati.

96. Securidaca 145. *volubilis*. Folia ovata, obtuſa, ſubpetiolata. Fructus cultratus dorſo lateribusque baſeos criſtatus.

97. Pterocarpus 59. *ovalis*. *Bebelan*. Radix ſucco rubro. Flores albi. Locus humidus.

98. Pterocarpus 121. *lunatus*. *Marſing*. Arbor ſpinoſa. Flores violacei albique. Fructus Medicaginis. Differt a genere ſtaminibus, convenit ſtructura.

99. Crotalaria 56. *ſagittalis*.

100. Dolichos 58. *enſiformis*. Flores cærulei.

101. Cy-

---

90. *Suppl.* 311.

91. *ibid.*

92. Urena leptocarpa. *Suppl.* 308.

93. *Suppl.* 311.

97. Dalbergia Monetaria. *Suppl.* 317.

98. *Suppl.* 317.

101. Cytiſus 117. *Cajan.* *Lowango piſies.* Adducta ex Africa.

102. Coronilla 157. *monilis.* Legumen concatenatum ex globis magnitudine pruni.

103. Indigofera 116. *tinctoria.* Indigo.

POLYADELPHIA.

104. Theobroma 149. *Cacao.* *Cacabom.* Calyx pentaphyllus, lanceolatus. Petala 5, fornicata, obovata, petiolata: lacinia terminali patula. Stamina fertilia, ſolitaria, ſub ſingulo petalo interne; anthera qvadruplici. Stamina alia 5, alterna, germini adpreſſa, caſtrata. Germen ſuperum. Stylus ſimplex.

105. Citrus 115. *decumana.* *Pompelmos.*

106. Hypericum 85. *cajanenſe.* Arbor foliis ſcabris. Calyx ſtriatus. Corolla alba, intus barbata. Filamenta apice barbata. Bacca ſucco fulvo tinctorio. Semina numeroſa.

107. Hypericum 2. 101. *aliud.* *Ringwormbom.* Frutex. Calyx lævis. Corolla lutea, intus lanata. Fructus purpureus. Semina pauca. Folia glabra. Succus ſub cortice pellit ſerpiginem.

SYNGENESIA.

108. Eupatorium 153. *ſcandens.* Caulis volubilis.

109. Conyza 42. *arboreſcens.* Herba.

 110. Un-

102. Mullera moniliformis. *Suppl.* 329.

106. *Suppl.* 343.

107. Hypericum bacciferum. *Suppl.* 344.

110. Unxia 105. *camphorata. Campher plantin.* Herba bipedalis, odore emplaſtri. In balneis ſudoriferis pro rheumaticis.

111. Coreopſis 15. *baccata.* Herba 8-pedalis, ſimilis Helianthо. Flos luteus. Fructus Rubi figura, acinis baccatis globoſis; ſemina nigra angulata.

112. Lobelia 12. obſcura. Herba 4-pedalis, lacteſcens. Flos ruber. Hiſpanis antidyſenterica. Inter olera Surinamenſium editur, ſi credere fas eſt.

GYNANDRIA.

113. Epidendrum 17. *puſillum.* Folia enſiformia, ſubcarnoſa. Fructus globoſus: angulis 6, membranaceis.

114. Epidendrum 110. absque flore.

115. Epidendrum 154. absque flore.

116. Paſſiflora 49. *quadrangularis. Markulba.* Maxima. Fructus ſapidiſſimus.

117. Paſſiflora 152. dubia. Caulis viridis. Folia ovata, biglanduloſa. Involucrum o. Fructus ſapidiſſimus.

118. Paſſiflora 74. dubia. Caulis rubicundus, glaber. Folia ut in præcedente, cui ſimillima.

119. Paſſiflora 76. *veſpertilio.* Fructus minus ſapidus.

120. Paſſiflora 86. *fœtida.* Frequens in hortis noſtris.

121. Arum

---

110. *Suppl.* 368.

111. *Suppl.* 380.

112. Lobelia lævigata. *Suppl.* 392.

121. Arum 24. novum. *Kraſtaijers.* Stamina piſtillis approximata. Fructus umbilicatus. Rubefaciens, corroſivus.

122. Arum 122. novum. *Mockemocke.* Folii aures longitudine folii. Stamina approximata piſtillis. Flos albus, extus ruber. Baccæ umbilicatæ, monoſpermæ.

123. Arum 128. *cannifolium.* Paraſiticum arborum. Folia tripedalia. Spatha obtuſa.

MONOECIA.

124. Ægopricum 162. novum. Arbor foliis annuis. Amenta ſubpaniculata betulina.

125. Anguria 81. *lobata.* Calyx luteus; dentibus ſubulatis, petalis clauſus. Stamina 2. Styli 2. Fructus ovalis, lævis, amariſſimus.

126. Sagittaria 36. *pugioniformis.* Folia ſubulato-enſiformia. Fructus globoſi.

127. Quercus? 106. dubia. Fructus nucleo bifariam fiſſili. Flos non viſus.

128. Hura 1. *crepitans. Sandkokers.* Arbor altiſſima pro aſſeribus. Succus in oculos illapſus excæcat poſt octiduum.

129. Hippomane 133. *biglanduloſa. Bollitrie.*

130. Jatropha 14. *goſſypifolia. Poppeties.* Uſus pro enematibus.

 131. Ja-

121. Deſideratur in *Suppl. pl.*

122. item.

123. *Suppl.* 410.

124. Aegopricum betulinum. *Suppl.* 413.

126. Sagittaria acutifolia. *Suppl.* 419.

127. Deeſt in *Suppl. pl.*

131. Jatropha 70. *Curcas.* *Purgatienoten.* Fructus carnosus, globosus, nec angulatus.

132. Ricinus 35. *communis.* *Karpata.*

133. Plukenetia 146. *volubilis.* Fructus supra albus angulis biverrucosis.

134. Luffa 28. *arabum.* Flores polyadelphi, pentandri. Genere distinguenda a Momordicis. Medulla pro filtratione.

135. Cucurbita 129. *lagenaria.*

136. Cucurbita 30. nova. *Ejer Calabass.* Similis ovo anserino. Usus pro scarificatione.

DIOECIA.

137. Cecropia 47. *peltata.* *Wilde Papaije.* Caulis annulatus, scaber, fistulosus. Spatha distincta pro quovis folio & pro pedunculis 2 apice umbellatis amentis.

138. Carica 4. *Papaja.* *Papaje.* Pedes 20 alta. Fructus magnitudine capitis infantis.

139. Musa 7. *paradisiaca.*

140. Pubeta 119. nova. *Marmolade dosies.* Arbor magna. Flos albus, sexfidus, reflexus. Stylus superne crassior. Fructus pubescens.

141. Mimosa 43. *Inga.* *Rote bolties.* Polyandra, monadelpha. Folia 4-juga: glandula inter singula.

142. Mimosa 112. *Entada.* Polystachya *Jacq. amer.* 263. Decandra, apetala. Pedicelli partiales gemini. Flores omnium copiosissimi.

143. Mar-

---

133. *Suppl.* 421.

134. Momordica Luffa *Syst. veg.* 14. *p.* 868.

136. Deest in *Suppl. pl.*

140. Duroia Eriopila. *Suppl.* 209.

143. Margaritaria 41. *oppositifolia.* an Mas? Stylus 1. Folia opposita, adjecto fructu sequentis feminæ.

144. Margaritaria 41. *alternifolia.* an Femina? Styli 4. f. 5. Folia alterna. Fructus 4- f. 5-coccus margaritaceus. Utrum hæ ambæ sexu f. specie distinctæ, non dicam.

145. Ficus 159. *trigonata.* *Plum. icon. t.* 132. *f.* 1.

146. Ficus 42. 53. *perforata.* *Plum. icon. t.* 122. *f.* 2.

CRYPTOGAMIA.

147. Ophioglossum 67. *scandens.*

PALMÆ.

148. Cocos 114. 84. *nucifera.* *Koker not.* Masculi: Petala 3. Stam. 6. Feminei: Calyx imbricatus squamis 9, obtusissimis. Germen superum. Stylus 0. Stigma 3-fidum.

GUSTAVIA *augusta*, supra nominata pag. 159, plane nova & genere & specie est arbor, in tota hac collectione speciosissima. Flores magni, Alabastri candoris, cum ipsa Magnolia certant, sed corona nectarea ex filamentis coalitis, antheris aureis condecorata superat, ut inter arbores longe amœnissimas jure numeretur; ideoque ejus descriptionem & figuram adjiciam.

GUSTA-

---

143. Margaritaria nobilis. *Suppl.* 428.

145. Ficus trigona. *Suppl.* 441.

146. Ficus pertusa. *Suppl.* 442.

Rhexia Jussioïdes *Suppl.* 215. & Mauritia flexuosa *Suppl.* 454. a Dalbergio etiam allatæ, in hac dissertatione desiderantur. *Adnot. Editoris.*

GUSTAVIA.

CAL. nullus. *Receptaculum* ſupra margine cinctum, planum, latum, calvum.

COR. *Petala* VIII. baſi leviter connexa, ovata, ſeſſilia, magna.

STAM. *Filamenta* numeroſiſſima, petalis breviora, baſi connata in coronam erectam. *Anthera* parvæ, oblongæ, erectæ.

PIST. *Germen* inferum, turbinatum, ſupra planum, calvum, inter ſtamina & ſtylum. *Stylus* conicus, breviſſimus, perſiſtens. *Stigma* obtuſum.

PER. *Fructus* ſubgloboſus, truncatus, VI locularis, ſupra marginatus.

SEM. plura, fabacea, ovalia, lævia, baſi aucta appendice cartilagineo contorto.

GUSTAVIA *auguſta*.

Arbor ramis craſſiuſculis, altitudine 20 ſ. 30 pedum.

Folia alterna, ſubſeſſilia, confertiuſcula, ſuperne lato-lanceolata, baſi anguſtiora, ſpithamæa ſ. pedalia, coſtata, ſubſerrata, glabra.

Pedunculi terminales, 2 ſ. 3, uniflori, uniarticulati.

Flos ſpecioſiſſimus albus, Petalis apice rubris, major Nymphææ albæ, calvus inter ſtamina & ſtylum. Antheræ flavæ. Stylus minutus, flavus.

Fructus pyriformis, fronte calva, ſexlocularis.

Semina

Tab. V.



Semina unilocularia, magnitudine Piſtaciorum, ovata, plura in ſingulis loculis, corculo bifido, cum appendice extus, ut in violis, ſerpentino, cartilagineo, contortuplicato.


EXPLICATIO FIGURARUM TAB. V.

Fig. 1. GUSTAVIÆ AUGUSTÆ Ramulus.

Fig. 2. Germen transverſe diſſectum, ut loculi conſpiciantur.

Fig. 3. Semen, cum appendice.



CLXVI.

LEDUM PALUSTRE

QUOD

PRÆSIDE

D. D. CAR. V. LINNÉ

proposuit Auctor

JOHANNES PETR. WESTRING,
Lincopia - Ostrogothus.

Upsaliæ 1775. Octobr. 25.

Patulos Floræ campos, lætissima illa florum luce superbientes, quæ non oculos tantum suavitate sua demulcet, verum etiam animum, nescio quo voluptatis sensu, mirifice implet, sagaciori oculo perlustranti, loca, tantum non singula, suas commonstrant plantas, quæ aliarum haud referentes virtutem, suo quasi & proprio, in quo læto regerminant vigore, solo a Natura dicatæ esse videntur. Verum enim vero maxima specierum vegetabilium copia sese jactare videntur regiones calidiores, ubi frigus illis injurias inferre nequit: at ubi terra frigore obriget, e sinu tamen educit illas plantas, quibus aut temperatis aut calidio-

lidioribus gloriari vix ac ne vix quidem contigit zonis.

Neque dura omnino in hyperboreos noverca, vegetabilia Patriæ noſtræ denegaſſe videtur Natura, quæ ſoli ac cæli amore adeo tenentur, ut limites ſuos ægre transgrediantur, & raro in aliis locis, exceptis alpinis, quæ eodem illo frigoris gradu, quo plagæ premuntur ſeptentrionales, ſemet inducere haud pertimeſcunt, obvia ſeſe dent; inter quæ numerantur: Rubus arcticus, Rubus Chamæmorus, Cornus herbacea, Lobelia Dortmanna, Pedicularis Sceptrum, Trientalis europæa, Betula nana, Cratægus Aria, Andromedæ, Scheuchzeria paluſtris; quæ plantæ, cum pluribus aliis, a TOVRNEFORTIO, qui tamen merito Princeps ſeculi ſui Botanicus ſalutatur, omiſſæ fuere in ejus Syſtemate, quum earum cognitionem exactam ſibi comparare non conceſſit natale ſolum.

Vegetabilia igitur illa, quorum miram alii conqueruntur paucitatem, eo potiori jure, quæ intus & in cute, quod ajunt, noſcamus, digna cenſentur, quum non dicam noſtro ævo, nova ex illis confecerint *Exteri* genera, quæ præſtantiæ nota decorarunt, ſed etiam ex illis quidquam commodi præ ceteris, quæ magis communia ſunt, capi poſſe videatur.

Quorum albo adſcribenda eſt illa planta, cui nomen eſt LEDUM, nobis æque vulgaris, atque auſtralibus rara regionibus. Illam qualitercumque adumbratam Tuæ cenſuræ, B. L. modeſte ſubjicio, & quæ de illa recentior noſtra detexit ætas, veritati congrua, a me in unum collecta Tecum communicare, ut potui, volui.

§. I.

§. I. HISTORIA.

Amara, ad cerevisiam ab acescentia conservandam, nobis omni ævo fuere necessaria. *Humulus* vero fini huic optime inserviens, ante aurea GVSTAVI I. gloriosissimæ memoriæ tempora, qui hanc plantam in Sueciam inter primos introduci curavit, Suecis vix innotuit. *Myrica Gale* vero, nomine vernaculo *Pors*, vulgo utebantur, quam paterna fundebant rura, & quæ singulari suo odore vim cerevisiæ inebriandi mirum quantum acuit.

Ea vero tempestate, qua Myrica usu valuit, ipsi succedaneum pauperes elegerunt LEDVM, quorum agelli aut insufficientem, aut nullam, quum neque eorum ferret conditio illam emere, nec loca, quæ illam alerent, utpote lege munita *a*), accedere fas esset. Sed quam ineptum esset, LEDVM usui ab illis intento, ex suis incommodis, præsertim horrendo capitis dolore, omnium hilariorum tunc temporis comite sat tristi, cito nimis didicerunt. Nam in tantum *Myrica* superat *Ledum*, in quantum *Humulus* hoc, cerevisiæ usu, præstat *Myricæ*.

Unde Ledum suum sortitum sit nomen, ad liquidum exploratum non contendo. Apud antiquos naturalis historiæ scriptores mentionem herbæ factam quidem observo nomine *Cistus ledon*, sed a Ledo diversæ, quod a Rajo deinde huic plantæ impositum ejus successores retinuere, usque dum Ruppius *b*) novum ex hac constituit genus, quod primus vocavit LEDVM; & utrum rationem

---

a) CARL IX. *Landslag med* Abrahamssons *anmärkningar, Bygnings Balk.* 49. *Cap. p.* 527.

b) *Flora Jenens. ed.* 1718.

nem denominationis a *lædendo*, odore c), an a veteri vocabulo *ledon* d), fufceperit, nobis omnino perinde effe videtur.

§. II. ORDO.

Inter BICORNES *Ord. Nat.* locum obtinet Ledum, quod fit frutefcens, fempervirens, fterili gaudens loco natali, inerme, foliis fimplicibus, multisque inftructum feminibus; a quibus tamen qualitate fua fapida & odora, quæ in reliquis fere eft nulla, difcedit: cui addendum duco, quod fructus ejus non ab apice in quinque valvulas, fed a bafi, dehifcat.

§. III. CLASSES,

quibus apud Auctores inferitur:

D. PRÆSES Claffi *Decandriæ Monogyniæ* Ledum adnumerat.

RAJUS inter plantas *Pentapetalas vafculiferas* illud collocat.

BOERHAAVIUS, plantis *Polyangiis polyfpermis* illud adfcribit.

TOURNEFORTIUS inter Herbas *flore rofaceo* illi locum vindicavit.

§. IV.

c) *Philof. bot.* p. 167.

d) A gr. λῆδον, quæ plantam cifti fpecie denotat, ita appellata quod ejus folia fcabra & pannofa funt. Λῆδος enim veftis ex panno raro ac detrito eft. Quum vero Ledi folia fupra fint fcabra, fubtus quoque pannofa, ideo huic vocabulo non immerito fuum debet nomen.

§. IV. GENUS.

Characterem Ledi genericum ita adornavit D. PRÆSES, in *Gen. pl. 6.* 546.

LEDUM.

CAL. *Perianthium* monophyllum, minimum, quinquedentatum.

COR. *Petala* quinque, ovata, concava, patentia.

STAM. *Filamenta* decem, filiformia, patentia, longitudine corollæ. *Antheræ* oblongæ.

PIST. *Germen* ſubrotundum. *Stylus* filiformis, longitudine ſtaminum. *Stigma* obtuſum.

PERIC. *Capſula* ſubrotunda, quinquelocularis, quinquefariam baſi dehiſcens.

SEM. numeroſa, oblonga, anguſta, utrinque acuta, tenuiſſima.

§. V. SPECIES.

Unica Ledi ſpecies, quantum adhuc conſtat, innotuit, quæ facie & natura proxime accedit illis *Rhododendri* ſpeciebus, quæ planam gerunt corollam. *Varietatem* hujus nuper habuimus ex America, quæ *foliis* eſt *multo latioribus* noſtratis; in ceteris vero nihil omnino differt.

Pulchritudo, qua, floribus ornata, conſpicuam ſe reddit, mirum quantum oculos movet & delectat; adeo ut, ſi odore ſuo, nimis graveolente, olfactum non feriret, in primis fere haberetur deliciis. Niveis enim pulcherrimisque ſuis corymbis formoſa, cum ipſis Spiræis umbellatis ſeu corymboſis; de formæ principatu contendit. Adeoque

que hortis, si Ledo culturam præbere possent, decus conciliaret suavissimum.

Ledum *(palustre)* *Fl. lapp.* 341. *Sp. pl.* 561. *Fl. suec.* 2. 352.

Ledum foliis linearibus subtus hirsutis, floribus corymbosis. *Fl. suec.* 1. *n.* 341. *Mat. med.* 210.

§. VI. SYNONYMA.

Cistus ledon, foliis rosmarini ferrugineis. *Baub. pin.* 467.

Ledum silesiacum. *Clus. pann.* 69. *hist.* 83.

Ledum rorismarini foliis. *Tabern. hist.* 2. *p.* 1479.

Ledum foliis rorismarini alterum. *Lobel. ic.* 2. *p.* 124. *fig. mala.*

Rosmarinum sylvestre. *Matthiol. in Diosc.* 146. *fig. pess. Dalechamp. hist.* 967. *fig. mal.*

Rosmarinus sylvestris. *Dod. pempt.* 273. *Pharmac. Suec.*

Rosmarinus sylvestris minor. *Camer. epit.* 546. 547. *fig. mal. hist. pl.* 2. *p.* 24. & *tab.* 25. *eadem.*

GERMANIS *Post*, *Mottenkraut*, *Wanzenkraut*, *Bienenheide*. SUECIS *Sqvattram*. O-GOTHIS *Sqvackra*. SUDERMANNIS *Sqvater*. SMOLANDIS *Sqväckra*. W-GOTHIS *Lumer*. UPLANDIS *Getepors*. HELSINGIS *Pors*. WESTMANNIS *Svinpors*.

§. VII. DESCRIPTIO.

RADIX fibrosa.

CAULES plures, frutescentes, pedales sive bipedales, fusci, compositi, nudi, erectiusculi,

 aphylli.

aphylli. *Ramuli* terminales, proliferi ex apice caulis, pubeſcentes, ſimplices, teretes, folioſi, tenaces, ſæpe tres ſ. quatuor.

FOLIA integerrima, alterna, ſparſa, breviſſime petiolata, linearia, baſi cordata, biennia, *ſupra* linea longitudinali excavata, ſubrugoſa, *ſubtus* revoluta, coſta longitudinali tomentoſa, ferruginea. *Petioli* breviſſimi, ferrugine tomentoſi.

GEMMÆ terminales, ſolitariæ, corymbiferæ, maximæ, imbricatæ *ſquamis* ovatis, concavis, membranaceis, deciduis, ferrugineis.

CORYMBUS ſemigloboſus: *Pedunculis* ſolitariis inter ſquamas gemmæ, flore longioribus, unifloris.

CALYX minutiſſimus, quinquedentatus.

COROLLA pentapetala, plana, alba: *Petalis* oblongis, rotundatis, concavis.

STAMINA *Filamenta* decem, ſetacea, alba, æqualia, erecta, corolla paullo longiora. *Antheræ* oblongæ, erectæ, ferrugineæ.

PISTILLUM *Germen* ſuperum, globoſum. *Stylus* filiformis, erectus, ſtaminibus paullo brevior, perſiſtens. *Stigma* capite obtuſo.

CAPSULA ovalis, quinquevalvis baſi dehiſcens.

SEMINA numeroſa, paleacea.

§. VIII. LOCUS.

Pleraque Sveciæ loca ſylvatica, quæ *paludoſa* & *ceſpitoſa* ſunt, quum glaciem diutius retineant ſubterreſtrem, Ledum alunt, excepta *Scania auſtrali.* In pratis numquam occurrit patentibus. Uliginoſa,

ginosa, umbrosa, nec non cespitosa ea loca sint, necesse est, in quibus luxuriare Ledo placebit: Unde difficilis ejus cultura in hortis existit, & fere impossibilis, nisi in locis umbrosis, ubi tamen raro fert flores; quos si forte proferret, nec tot forent, quot in solo natali squalido producit. Ad montium & rupium latera passim crescit, ubi aqua adest, quæ radicem irriget siccitati inimicam, cum musci & radices minores contortæ, radicem Ledi, exigua sparsam terra, tegentes, stoream conficiant densam, quæ semper madida & passim subtus situ maculata, odorem adflat mephiticum (*unken*). Nec, cum in locis cespitosis floret, radix ejus sola terra tantum operta est: plerumque Sphagno, nec non aliis muscis, & radiculis, tota circumcingitur.

Illorum consortium Ledum non tolerat, neque in uno loco cum illis commoratur, quæ illud aut altitudine æquant, aut lætiori crescunt vigore. At Sphagnum Ledo videtur amicissimum, ut sese amplectentia una frui videantur nutrice. Ledo consinia sunt: *Empetrum* nigrum, *Eriophorum*, *Arbutus* Uva ursi, *Pyrolæ* &c.

Extra fines Succiæ sylvaticas hæc planta in regionibus exoticis, inprimis borealibus, paucis obvia est. In *Sibiria* ubique nascitur, usque ad *Kamtschatkam e)*. Multis in *Germaniæ* regionibus occurrit, ut in *Saxonia f)*, *Lusatia g)*, *Thuringia h)*, *Bohemia i)* & *Silesia:* nec *Danis* invisa *k)*, & *Nor-*

e) *Gmel. Flor. Sibir.*

f) Teste *Ruppio.*

g) Auctore *Clusio.*

h) Referente *Matthiolo.*

i) Cfr. *Clusium.*

k) Vid. *Flor. Dan.*

Norvegiæ loca uliginoſa ornare quoque non recuſat.

§. IX. GEMMATIO.

Nullas Ledum profert Gemmas, quam quæ ejus *Floreſcentiæ* ſunt dicatæ. *Rami* præcedentis & præſentis anni ſunt tomentoſi: tomento autem ſe exuunt, duos vel tres annos nati, & nudi evadunt, tantum paullulum exaſperati a cicatricibus caſu foliorum impreſſis.

Floreſcentia ſuam occupat ſedem in ramorum divaricationibus, & valde regularis oritur *Corymbus*, ut tirones, qui corymbum deſiderent regularem, in Ledo votis ſuis ſatisfacere poſſint.

Bracteæ, quæ ſquamæ ipſius gemmæ, ſunt ſub pedunculis partialibus ſitæ, ſed ſub ipſa floreſcentia decidunt. Inſtanti vero tempore, quo fructus perſicitur, reflecti deorſum incipiunt, unde fructus cernuus evadit. Hinc provida rerum natura ita inſtituit, ut fructus baſi dehiſcat, ne prius ſemina cadant, quam vehementioribus ventis autumnalibus ita conquatiantur capſulæ, ut ſemina delabi cogantur.

Fine menſis Maji, vel circa initium Junii, *floret*, menſe *Floreſcentiæ* (Calendarii Floræ), ubi ordinem fere ſervat inter Trientalem europæam & Geranium ſylvaticum; verſus vero finem menſis Auguſti *ſemina matureſcunt*.

§. X. PRÆPARATA.

Herba tantum cum toto, quod ajunt, in officinis Pharmaceuticis ſervatur, neque ulla ejus Præparata ibidem proſtant. Ut igitur quid in Ledo lateat, in lucem prodeat, pauca, quæ ejus cognitionem

tionem pharmaceuticam ſpectant, experimenta inſtitui, & quæ inde reſultarunt, adferre juvabit.

I. *Aqua Ledi deſtillata* odorem præbet gratum, illo qui herbæ tempore vernali ineſt, longe mitiorem, neque ab illo, quo perfuſa eſt Aqua roſarum, multum diſcedentem; unde & illi, quibus odorem naribus attrahere contigit, illam pro aqua roſarum habent.

II. *Extractum aquoſum* ſaporem producit primum dulcem, mox amarum, denique ſtypticum; quæ omnes diverſi ſaporis ſpecies ſe tam cito excipiunt, ut vix diſcerni queant.

III. *Eſſentia Ledi* ſapore prædita eſt acri, ſumme amaro, & majori ſtyptico, quam quod Extracto aquoſo inhæret.

IV. *Extractum reſinoſum* ſummam ſapit amaritiem, valde adſtringentem, & cum Extr. Cort. peruviani reſinoſo convenientem.

V. *Oleum empyreumaticum* odore eſt teterrimo, & conſiſtentia, picis inſtar, craſſa.

VI. *Spiritus per deſcenſum* quoad ſaporem cum Sp. Tartari convenit, odorem ol. empyr. præ ſe ferens ab acido acutum.

Oleum Ledi eſſentiale, licet ter repetita fuerit operatio, non adeptus ſum. Neque illud, niſi ſiccum, uti illud a Roſis, nacturum quemquam opinor.

Pauca hæcce præparata, ſi faventior ampliora inſtituendi occaſio mihi adfuiſſet, majores, quibus Ledum pollet, vires, nullus dubito, in apricum poſuiſſe. Attamen quæ inſint, ex illis conjicere haud ineptum duco; & cui idonea ſuppeditat eadem

repetendi occasio, non sine optato eventu vires Ledi eruturum, ex illis quæ expertus sui, certissimus auguror.

§. XI. QUALITATES.

SAPOR amarus, sed, leviori gradu, subadstringens.

ODOR graveolens, subaromaticus & proprie nidorosus, præsertim tempore florescentiæ, Myricæ proximus.

Tempore vernali paullo mitior ejus est odor, aroma quodpiam spirans, quod a suavitate non longe est remotum.

Observari quoque meretur, odorem valde esse inhærentem, quo nulla temporis diuturnitas herbam privare posse videtur. Vidi enim in *Bibliotheca Upsaliensi* Herbarium Burseri vivum, anno 1620 collectum, in quo Ledum suum etiamnum conservavit odorem, fere æque fortem, per annos 150 & quod excurrit.

§. XII. VIRES.

Efficaces Ledo inesse vires, nullus in dubium vocabit, cui semel contigit odorem, quem spargit, inprimis sponsalia peragens, naribus haurire. Procul enim ab illo remoti, illud in vicinia esse certi divinare possumus. Fortem vero, odori respondentem virtutem, illi a Creatore inditam esse, inficias iturum arbitror neminem. Medici igitur est, quum hæc planta nobis eximia polliceri videatur remedia, experimenta rite instituere, neque illum spe sua concidere opinor.

Tota

Tota hæc planta eſt graveolens, donec floreat, & quidem ob odorem, quem diſſpargit, fortem, cephalalgiam, cuicumque volupe fuerit, floribus onuſta, inducere poteſt.

Uti pleræque nidoroſæ *oculis* ſunt *nocuæ*, nec Ledum hujus culpæ immune merito exiſtimatur.

Vim *inebriandi* herbæ ineſſe, ſi liquidis fermentatis immiſceatur, diu cognitum fuit, quam inprimis illi cereviſiæ coctores, qui ſcelerato ducuntur quæſtu, lucro adponere non negligunt. Qui mos perverſus etiam in Germania, præcipue circa Schmiedebergam & Wittebergam, ut Ruppius & alii referunt, receptus eſt.

Ruſticis, quorum convivia, niſi rauco ebriorum clamore ſuſurrent, & feſſis vacillante pede ſaltantium perſonent vocibus, in laude non ducuntur, hæc Ledi vis paſſim inſervire ſolet.

Infuſum vero ejus, majori doſi ſumtum, ultra unc. I. vel II. *Cephalalgiam*, *Deliquium*, *Vomitum* & *Sudorem* excitare poteſt, quod obſervavit D. Aſſeſſor ODHELIUS.

Secundum ſapidam qualitatem Ledum præſtans eſſe *corroborans*, neminem arbitror negaturum. Inſectis minimis, quin immo aliis, pro amaritie ſua, cum alio principio, quod continet, mixta, letiferum eſt; & annon *anthelminthicum* foret pereximium, experiundum relinquimus.

Quid autem in morbis *exanthematicis* valere videatur, præmiſſis præmittendis, infra disquirere juvabit.

§. XIII. USUS.

Omnia animantia bruta, si Capram excipias, herbam abhorrent *l*).

Unico autem Insecto, *Phalænam* Tortricem *Ledianam m*) puta, quantum adhuc constat, hospitium præbet. Unde ut insectis & pecoribus inserviret alimento, a natura non videtur destinata. Quid ideo æquius, quid convenientius, quid denique probabilius, quam exinde concludere, illam esse creatam, quæ usui inserviret forsan longe potiori?

Nonnullæ jam dudum ejus virtutes a multis sunt laudatæ, & majores quin in scenam producet, non est quod dubitemus, cui operam in illis eruendis collocare volupe fuerit.

Ledi autem ignorantia fere omnes Medicinæ antiquæ Scriptores cepit, & quæ de illo certi novimus, unice recentiori debemus ætati; & sunt sequentia.

USUS OECONOMICI.

I. *Tineas* & *Blattas* pellit, teste Matthiolo; ob quam virtutem ab illis, qui de Ledo quid docuere, in laude habetur multa. Et D. J. G. Gleditsch, celeberr. Prof. Berolin. herbam in quibusdam Germaniæ officinis, ad tineas abigendas, collocari refert *n*).

II. *Cimicibus* odiosa est herba. Multis in Sueciæ provinciis, ubi fœtidi cimices cubilia & parietes

l) Vid. *Pan. suec. p.* 22. *Amoen. acad. II. p.* 224.

m) Cfr. *Syst. nat. tom. I. part. II. p.* 879.

n) *Verzeichniss der gewöhnlichsten Arzneygewächse*, *p.* 81.

tes occuparunt ad noxam inhabitantium, quorum interdum

nec toga, nec focus eſt, nec tutus cimice le-
ctus o),

herbam ad hos hoſpites abominandos, quorum vicinia nihil deteſtabilius, abigendos, nec ſine effectu adhibent. Quidam *herbam* ipſam, dum floret, in lectis inter lintea & culcitras ponunt. Quidam, & quidem meliori ſucceſſu, *infuſo* utuntur fortiori, quo lectos lavant. *Spiritum* vero Ledi *per deſcenſum* hunc præſtare poſſe effectum, nec ſine jure, exiſtimo, optimum. Nam experientia hoc meum augurium comprobante, non poſſum non quin hujus virtutis laude Ledum ornem. Quodſi enim gutta tantum hujus *ſpiritus*, vel potius *phlegmatis*, illis ſuperfundatur, ſtatim omni velocitate currendi privati, intra minutum horæ mortui procumbunt. Et mirari profecto convenit, hunc liquorem illis adeo eſſe letiferum, ut e loco, quo illis injicitur, ſe movere vix queant, ſed, quaſi ſpe vitæ deſtituti, magis huic aquæ ſe involutent, ut mortem, ſibi inevitabilem, accelerent. Adeoque ſi in loca & rimas parietum lectorumque, ubi commorantur & ova depoſuerunt, ſiphone vel aſpergillo hoc phlegma inſpergeretur, optima foret ratio, hos hoſpites propulſandi, quinimmo longe tutiſſima. Neque in hac quoque re nobis refragatur experientia.

III. *Pediculis animantium brutorum* letiferam eſſe herbam, diu omnibus fere innotuit. Ideo aut *decocto* lavantur animalia, aut *herbam* in porcilia ſeu haras congerunt recentem, & quidem avibus domeſticis phthiriaſi infeſtatis.

IV. *Api-*

o) Martialis.

IV. *Apibus amicam* & in deliciis eſſe, neminem facile crediturum puto, niſi quem illud edocuit obſervatio. Unde neque immerito Germani ſuo idiomate Ledum vocant *Bienenheide*.

Sollers ille naturæ ſcrutator acutiſſimus, D. Hagſtröm M. D. clariſſ. loquor, ſua in hunc finem obſervata mecum communicare non dedignatus eſt. Quotannis *alvearia*, herba Ledi inuncta, apes avide intrare obſervavit. Tempore vero vernali, cum apes parce fumo Ledi ſparſit, quaſi denuo reviviſcunt & hilares ad campos Floræ viſitandos examine evolant.

Mirum quoque eſt, apes dulce ſuum *mel* ex hujus flore abunde colligere. A polline vero florüm globulos deportant albeſcentes, quos in *ceram* illos convertere eo facilius eſt divinatu, quo certiores ſcimus, Americanos a baccis Myricæ ceriferæ, Ledo cognatione annexæ, ceram decoquere. Quod ideo illorum, quibus apum cultura videtur jucunda, quam non poſſunt non in lucro ponere, attentionem meretur.

Notari quoque dignum arbitror, flores in *ambitu corymbi* ſe prius explicare, quam qui medium corymbi conſtituunt. Nonne in apum gratiam? En ſapientiam divinam, etiam in minimis admirandam, noſtris eloquiis ad ſuum laudis culmen numquam ſat extollendam!

V. *Mucores ſepticos*, ne pavimenta deſtruant, impedit. Nam cum herbam ſub pavimentis collocant Oeconomi, putredinem illis accelerare nequeunt mucores, quorum incrementum tollit: qui quum ædificia in locis uliginoſis ſunt ſtructa, parietibus ſimul, & pavimentis ſubtus, adnati, putredi-

tredinem contrahunt. Votis igitur illorum, qui hoc incommodum conqueruntur, facturum esse satis Ledum, experientia, licet unica, quantum constat, sat dilucide commonstravit, illa videlicet, quæ felici successu in prædio Ultuna instituta fuit. Quæ ideo Ledi virtus probabilitate nos non fallere videtur.

VI. *Coria Russica* odore imbuit. Suecis & aliis gentibus, quomodo inprimis *Russi*, *Coria*, *Jucht* vulgo appellata, odore illo singulari inficerent, ignotum eo usque fuit, donec illi, quos anceps Russorum Mars tempore CAROLI XII:mi captivos detinuerat, vinculis soluti, ad patrios redirent lares. Attamen ex asse non respondit ars illa, quam ibi acquisiverunt, fini intento, usque dum 1739 quidam accederent, quibus perspectum erat, *Ledum* cortice *Betulæ* albæ esse miscendum, cujus mixturæ oleum eumdem coriis conciliavit odorem, quo gaudent russica.

USUS MEDICI.

I. *Scabiem* Acaris suam debere originem, adeo dilucide demonstrant Medici, ut qui illud in dubium vocet, utroque oculo dormire censeatur. His autem depellendis & enecandis Ledi *infusum* inservire potest, & tantum abest ut solam probabilitatis speciem præ se unice ferat, ut potius a multis sit probatum, quinimmo laudatum; unde etiam *balnea*, a Ledo confecta, primaria esse ad scabiem tollendam, testatur Sim. Paulli.

II. *Tineæ* medetur. Puerum gravi Tinea adflictum ope *decocti* Ledi, quo caput repetitis vicibus lavabatur, salvum reddidit D. D. Wahlbom.

III. *Tussi ferinæ* inimica. Veritati convenienter multi quidem Medici contendunt, omnes morbos,

bos, qui contagiosi sunt, contagium suum debere animalculis vivis. Quam hypothesin, quasi ex tripode dictam, alii avide arripuerunt, verum alii, ut inscitiæ involucrum, repudiarunt. Saltem in plurimis exanthematicis morbis illam valere, valde videtur probabile, & quidem in Tussi ferina, quæ malum est epidemicum, quod pauci evitare possunt, contagium suum, quasi ipsa pestis disspargens, & quem semel occupavit, multis diu crucians modis. Infantibus, & quidem illis qui provectiori sunt ætate, nihil fere hoc morbo intolerabilius. Horrendum est visu, quam misere eorum membra conquassentur screatu, qui etiam interdum intercluso spiritu suffocati, sine vitæ jactura hoc malo se liberare nequeunt. Multi igitur Medici, cum Emetica, Moschum, immo Mercurialia adhibuere, frustra effectum exspectarunt. Omnibus autem remediis, quibus huic morbo adferre solent Medici medelam, *Infusum* Ledi saturatius, aut ejusdem *Decoctum*, palmam præripuisse s pius est observatum. Observavit quoque Dn. Præses in itinere suo W-gothico, a multis hoc remedium adhiberi ut falli nescium. Quæ itaque Tussi ferinæ medendi ratio jam per totam fere Sueciam invaluit, & annon Pilul. extr. aqu. vel res. simul cum insuso, curam peragerent citiorem, experientiæ committimus.

IV. *Angina Strangulatoria.* Præteritis annis grassatus fuit morbus epidemicus, qui juniores præsertim aggrediebatur, speciem Anginæ præ se ferens, suo contagio multis inevitabilis. Illorum qui hoc morbo laborabant, glandulæ jugulares repente intumuere. Quibus intumefactis accessit febris lenta, vix sensibilis, dolore colli intenso, & rauco comitata screatu. Intra spatium 8 vel 14 dierum morbus plerumque terminabatur, quem tamen

men quidam non nisi morte evitare potuerunt. Qui vero gargarismata & cataplasmata a Ledi infuso adhibuere, ad sanum cito redibant statum. Quam Anginæ medendi methodum observavimus Dn. D. Scopoli, Med. Hung. meliori de nota commendasse. Et in *Angina inflammatoria* infusum Plantæ euporiston esse apud incolas montium Carpathicorum, dudum docuit acutissimus Botanicus N. J. Jacquinus.

V. In *Cephalalgia* ejus aqua destillata, externe adhibita, a nonnullis laudatur; quod puto non injustum esse, quum id quoque usu proprio compertum habeam.

VI. *Lepra* morbus est duratione tædiosissima cum exanthematibus conjunctus, quo cutis in squamulas, piscium instar, mutatur, ut æger omnem humanam quasi deposuisse videatur speciem, & qui illum intueretur, *in nova mutatas* se cernere *corpora formas* lubens fateretur. Lepram vero ab animalculis vivis esse deducendam, alienum non videtur.

Qui terram borealem incolunt Medici, ubi hic morbus frequens est, præsertim locis maritimis, & qui quid ultra communia Medicorum dogmata sapiunt, existimant *Gordios*, quos vocant *spirales*, caussam sistere hujus morbi. Illam igitur sententiam, nuper in aprico positam, ut veram amplectimur, quæ vermes statuit, quum hæc animalcula adeo tenaci contineantur vitæ filo, ut omnem Medicorum operam in illo destruendo deludant.

In hoc igitur nodo explicando multi Machaoniæ artis Principes operam perdiderunt, & omnes ingenii nervos in excogitando remedio, curam hujus morbi omnibus numeris absolutam præstituro, frustra

ſruſtra contenderunt. Ubi vero ad barbaras itur gentes, quas caſus, neceſſitas & tempus optima ſæpe edocent, quibus etiam præſtantiſſima fere medicamina in acceptis ferimus, rem acu tactam fuiſſe obſervarunt illi diligentes naturæ Scrutatores, qui, juſſu Imperatricis Ruſſ. CATHARINÆ ALEXIEWNÆ, iter in remotiſſimas ejus regiones, usque ad Kamtſchatkam, inſtituerunt. Ibi enim incolæ, denſis inſcitiæ tenebris licet immerſi, ſe tamen felici ſucceſſu a Lepra, quæ tyrannidem in illos exercuerat crudelem, ope infuſi a Ledo liberaverunt.

Quum igitur eadem ſit planta, quin eidem inſerviat morbo, quid officit? Cui robur conciliat, quod D. D. ODHELIUS, Reg. Coll. Med. Aſſeſſor, expertus eſt, & in *Actis Acad. Scient. Holm. ult. ſemeſtr. pro anno* 1774 deſcripſit. Talem enim in hoc morbo refrenando effectum præſtitit Ledum, qualem nullum ante ab illo adhibitum medicamen, lepræ inimicum. Ut igitur juſta Ledum maneat hujus virtutis laus, ex qua incitentur Medici experiri, quid valeant humeri in detegenda methodo, qua optime in hunc finem adhibeatur, adferre juvat verba, quibus uſum Ledi in lepra commendat D. Aſſeſſ. ODHELIUS in actis citatis, quæ totidem ita exſtant: *Detta är ſanſärdiga förloppet af en händelſe,* (Ledi ſkyndſamma cur,) *ſom jag af den orſaken tror mig böra berätta Kongl. Academien, at han är den enda, ſom i denna ſvåra ſjukdom viſat hopp til bot och förbättring, på det andre derigenom måtte få anledning at förſöka denna ört,* (Ledum,) *ſom växer ſå allmänt i hela riket, medan lifskrafterna äro behållne.* Quod hujus herbæ encomium, præſertim quum ab illo ſit datum, quem ſumma artis ſalutaris ſcientia per totam Sueciam illuſtrem reddidit, unumquemque ad ejus uſum in lepra excitare

tare debet. Methodus herbam præſcribendi hæc fuit:

Rec. Ledi unc. IV.
Infund. in aqu. calid. lib. II.
Doſis quot. a dimid. libr. ad libr. II.

Quo infuſo exanthemata quoque fuere lavata. Sed quum nimis diu hoc morbo conflictata eſſet femina lepra laborans, & morem quum non geſſiſſet ordinationi præſcriptæ, morti ſuccubuit, quum ſpes tamen, illam a lepra immunem reddendi ope huius infuſi, ſumma eſſet.

§. XIV. CLAUSULA.

Hæc omnia, diligentem Medicum, qui ab uno eorum, quæ nexu aliquo inter ſe continentur, ad alterum concludere non ſusque deque habet, in eam opinionem inducere poſſunt, anne Ledum in reliquis morbis contagioſis, epidemicis, exanthematicis, ut *Morbillis*, *Variolis*, & *Dyſenteria* &c. nullum præſtet effectum? In *Dyſenteria* enim *epidemica* Scabiem inteſtinorum internam eſſe, diſſectiones cadaverum hoc morbo defunctorum, ſatis ſuperque commonſtrarunt. Scabiem vero iſtam animalculis deberi vivis, haud inſulſe multi interpretantur, præſertim quum iſta animalcula oculis examinaverint armatis. Quorum exiſtentiam evidenter quoque innuere videntur medicamina illis mortifera; e. g. *Rhabarbarum*, *Nux vomica*, *Rad. Ipecacuanha*, (quam ut ſpecificum ac ferme infallibile remedium commendat D. G. Baglivus *p*)), quibus morbo huic haud raro mederi amant Medici. Quorum medicaminum loco Ledum ſubſtitui poſſe, a

p) Vid. *G. Baglivi Prax. Med. p.* 109.

a priori videtur probabile, & eatenus ceteris anteferendum, quatenus non ſolum mitius eſt ceteris, quæ nimis caute ſemper ordinari vix poſſunt, verum etiam amaritie ſua bilem corrigere acriorem, & ſuccum pancreaticum mitigare videtur acidiorem, quibus cauſſam morbi, ſaltem fluxum alvi, Riverius *q*) & alii *r*) adnumerare ſunt adgreſſi. Plura de Ledi effectu in morbis exanthematicis, ubi animalcula Medici detexerunt viva, perſequi, imperata non patitur brevitas; attamen omni probabilitatis ſpecie non deſtituitur opinio, unde prius eam non rejiciamus oportet, quam falſitatis hypotheſin arguerit experientia.

---

q) *L. Riverii Prax. med. p.* 360.

r) *F. D. Sylvii Prax. med. app. p.* 833.





CLXVIII.

OPIUM

QUOD

PRÆSIDE

D. D. CAR. V. LINNÉ

proposuit

GEORGIUS EBERHARDUS GEORGII

Stockholmiensis,

Reg. Acad. Scient. Stockh. Adscriptus.

Upsaliæ 1775. *Novembr.* 15.

---

§. I.

Perbrevem de OPIO commentationem meditanti mihi, si, quæ de nobili hocce argumento inde a Dioscoridis ævo ad nostra usque tempora prodiere, singula Doctorum scripta essent pervolvenda, idem eveniret, quod illi, qui vastum maris æquor fragili carina conaretur permetiri, vix portum & itineris finem inventurus. Etenim haud facile quemquam, alicujus saltem nominis, invenies Medicinæ Practicæ Auctorem, qui non id sibi datum putaret, ut de isthoc ageret medicamine. Igitur, ut tempori parcam, e re nata me facturum existimaverim, si summa tantum capita attingendo, juvenili juxta Specimini mitiorem

rem Lectorum cenſuram ſtipulatus, qualitates & vires *Opii* velut in compendio exhibuero.

Vix ulla jam medicamina frequentiora ſunt *Opio* & *Pulvere Peruviano*. Illud ſyſtema nervoſum moderatur, ſeu medullare; hoc in ſyſtema agit fibroſum & fluidorum, ſeu corticale corporis.

Opium ſacra jam diu Medicis anchora fuit, ut multi cum DE LE BOE SYLVIO dicant, ſe nolle medicinam exercere, ſi careret *Opio*. Ut enim Cinnamomum motus animales fortiſſime excitat, ita hos, ubi modum exceſſerint, Opium juſto moderamine temperat.

Hæc vero medicina Heroica caute omnino & prudenter eſt tractanda: Medicamenta enim Heroica in manu imperiti ſunt velut gladius in dextra hominis furioſi.

Ut autem ordine procedat hæc qualiscunque tractatio, *Opium* primum *Botanice*, deinde *Pharmaceutice* & *Practice*, nobis erit conſiderandum.

§. II. BOTANICA.

Opium e *Papavere* arte producitur; eſtque ſuccus hic Papaveris inſpiſſatus, nigricans, conſiſtens, tenax, lentus, gummi-reſinoſus, amarus, acris, teter, igne ardens.

Papaver genus eſt plantarum, *Calycem* habens diphyllum; *Petala* quatuor; *Stamina* plurima, receptaculo inſerta; *Piſtillum* germine ſupero, ſtigmate absque ſtylo, plano, ſtellato; *Capſulam* evalvem unilocularem, dehiſcentem ſub ſtigmate foraminibus pluribus; *Semina* numeroſa, rotunda, affixa receptaculis numeroſis, lamellatis, longitudinaliter cavitati capſulæ adhærentibus.

Plures

Plures hoc genus comprehendit ſpecies, quæ omnes ſuccum continent lacteum, pleræque album, nonnullæ flavum; ut adeo planta lacteſcens & inquinans ab omnibus jure habeatur.

Ex omnibus quidem ſpeciebus Papaveris Opium quoddam parari poſſe arbitror: ſed cum ſingulæ nondum ſint exploratæ, in illa, quæ multis retro ſeculis frequenti fuit in uſu, breviter deſcribenda noſtra jam verſabitur opera.

Opium vulgatiſſimum e *Papavere ſomnifero*, ut nuper dictum, paratur, quod floribus diverſi coloris, jam ſimplicibus, jam multiplicatis variat, petaliſque integris aut laciniatis. Varietas autem præcipua eſt, quod vel nigra, vel alba habeat ſemina. Orientales populi, apud quos *Opium* eſt uſitatiſſimum, ex ſeminibus plerumque albis Opium conficiunt, cum fructus in hac varietate major ſit & uberiorem *Opii* copiam præbeat. Interim *Opium* æque præſtans ex Papavere ſeminibus nigris producitur.

Papaver ſomniferum, calycibus capſuliſque glabris, foliis amplexicaulibus inciſis, *Spec. Plant.* p. 726. noſtro tempore adeo vulgare eſt, ut ad omnia fere tuguria plantari ſoleat. Non igitur operæ pretium fuerit deſcribere plantam adeo in vulgus notam, & a multis toties deſcriptam & delineatam, inque omnibus fere libris botanicis inter plantas communiſſimas relatam. Quæ quamvis patriæ non ſit indigena, in noſtro tamen ſolo inſtar indigenæ creſcit: &, ſemel introducta, in hortis noſtris ſponte ſeritur & quotannis renaſcitur.

Opium Thebaicum veterum extractum plerique putant ex *Papavere orientali* capſulis glabris, caulibus unifloris, ſcabris, folioſis, foliis pinnatis, ſer-

ratis. *Hort. Upf.* 136. cujus figuram etiam & defcriptionem dedit TOURNEFORT. *Itiner.* 3. *pag.* 127. *cum figur.* & COMMEL. *rar. pag.* 34. Planta hæc perennis eft & a TOURNEFORTIO non procul ab Ararat detecta. Rarior hæc apud nos eft, & in hortis tantum Botanicis obvia, ubi radice fua perennat & hiemes noftras fub dio tolerat, atque diebus folftitii floret; quæ vero vix hoc noftro tempore ad *Opium* extrahendum adhibetur.

Ceterum operæ pretium effet, in aliis etiam Papaveris fpeciebus *Opii* præparandi facere experimenta, atque inquirere, an eundem præftent effectum. Præcipue *Papaver* Cambricum foret tentandum, cum fuccum habeat luteum, & magis differat, fortaffis ut Chelidonium, Argemone, Bocconia, quæ proxima ad Papaver adfinitate accedunt, refpectu ordinis naturalis & generici, licet qualitatibus fapidis & odoris plurimum differant.

§. III. PRÆPARATIO.

Perfia & Imperii Turcici Provinciæ, inque his Natolia, Cilicia, Cappadocia, Ægyptus, nec non plures in Oriente regiones copiofiffimum producunt *Opium;* unde per Europam & totum propemodum orbem diftribuitur; fiquidem Medicus nemo folide doctus illo carere queat fubfidio. Per totos agros ibi Papaver conferitur, atque ut capitula (Capfulæ) eo majora evadant & fuccum præbeant uberiorem, refecant fuperflua capita, quo facto capfulæ, quæ apud nos vix prunis funt majores, in pugni amplitudinem adolefcunt. Ejusmodi capfulas Papaveris portentofæ magnitudinis in tabernis Batavorum aromaticis fufpenfas quotidie videre licet.

Ante-

Antequam capsulæ maturuerint, id est antequam siccæ & exsuccæ evaserint, inciduntur seu lacerantur ab uno latere cultro, in hunc usum formato, quo succus exstillet lacteus, qui fervore æstatis siccatur ad consistentiam picis liquidæ, & post unum vel alterum diem, scalpello abraditur. Deinde pari modo ab altera parte idem laceratur capitulum, ut plus succi inde pariter exstillet in lacrymas.

Culter huic destinatus usui quatuor aut quinque habet acies parallelas, quibus capitula Papaveris decussatim inciduntur.

Opium autem eadem methodo ex Papavere in Europa quoque & apud nos extrahi posse plurimi, inque his ALLEN & ceteri, sunt experti. Præcipue vero legi merentur experimenta DILLENII, Botanici doctissimi, in *Actis Naturæ Curiosorum* copiosius descripta, de *Opio* præparando, parem cum exotico effectum producente.

Opium modo jam dicto extractum & collectum, vasi imponitur ligneo, dein irroratum aqua & spathula agitatum lignea, ad consistentiam picis, formatur in madaliones, qui in planum expanduntur spirale, instar placentarum, foliisque Papaveris tecti ad Pharmacopœas exportantur exoticas, atque in ipso etiam solo natali in foro veno ponuntur; quemadmodum pluribus KÆMPFERUS in *Amœnitatibus Exoticis* docuit.

§. IV. PROPRIETAS.

Ad proprietates *Opii* propius cognoscendas, ipsa primum Officinalia pharmaceutica sunt consideranda. Prostant in Pharmacopoliis, *Papaveris Herba*, *Semina* alba & nigra, *Capitula*, *Oleum in-*

fusum herbæ, *Oleum expressum* ex seminibus, *Syrupus* vel *Diacodium a)*.

Dignum autem est quod a nobis hoc loco memoretur, folia Papaveris fere in modum lactucæ cum oleo & aceto, sine effectu singulari narcotico, adhiberi posse; quin & semina ipsa in formam pultis cocta sæpe infantibus propinare Germanos. Oleum expressum e seminibus ad duas uncias sumi potest absque metu narcotico. Verum quidem est, folia ipsa succum continere lacteum, qui, quod ad effectum, ad Opium quodammodo accedit; sed cum dilutior sit, pauperes illo sine ulla noxa in solo natali delectari solent: ceterum ex planta trita & expressa fit Meconium, teste SPIGELIO.

In Pharmacopoliis prostant etiam non solum *Opium crudum*, & *correctum*; cujus præparatio describitur in *Pharmacopœa Svecica p.* 112. quodque apud nos raro, dosi ordinaria, datur ultra granum unicum vel duo: sed etiam *Tinctura Opii* cum aceto, quod Opio facile additur, cum Opii *antidotum* sit acetum, ut etiam Castoreum, Sal volatile urinosum, Tinctura alcalisata: præter compositiones, quas opium ingreditur, ut *Theriaca Andromachi*, *Diascordium*, *Orvietanum*, *Philonium*; *Elixir. Antihystericum*, *Elix. Paregoricum*, *Elix. Pectorale*, *Pilulæ de Styrace*, *Pulvis Alexiterius*, *Pulv. Sedativus*, alias ut taceam formulas bene multas, in quibus eminet *Laudanum liquidum* SYDENHAMII, cujus drachma quævis continet Opii grana decem, Croci grana

a) Diacodium hoc modo conficitur: Rec. Ex Capitulis Papaveris Uncias Septem; Aquæ fluviatilis bullientis Congium dimidium: maceratis per noctem, coque ad dimidium: colaturæ fortiter expressæ adde Sacchar. albiss. lib. duas. f. Syrupus. V. Pharm. Svec. p. 188.

na quinque *b*). Doſis autem communiter eſt guttarum XII.

§. V. QUALITATES.

Qualitates Opii hæ ſunt primariæ:
1. *Conſiſtentia* lacteſcens, gummi-reſinoſa;
2. *Sapor* amarus, acris;
3. *Odor* teter.

Ex his ſequentia eliciuntur judicia:

Conſiſtentia Lacteſcens. Omnes fere plantæ lacteſcentes ſunt inquinantes, ſeu adhæreſcunt & quaſi abſorbentur a ſolidis, ut difficillime elui poſſint; unde vehementius agunt & conſtantiores ſunt effectu, quam aliæ omnes tinctoriæ & infectoriæ: e. g. in ordinibus naturalibus Lacteſcentes ſunt Contortæ XXX. Rhœades XXVII. Campanaceæ XXIX. Tricoccæ XXXVIII. Semifloſculoſæ XLIX. β. quæ omnes venenatæ dicuntur; e quibus quidem ſemifloſculoſæ minimum habent veneni, ſed non omnes tamen ſunt inſontes, ut ex Lactuca viroſa patet. Opium itaque, ſpecies vera Rhœadum, in his non infimum locum obtinet.

Gummi-reſinoſa. Solvitur pars Opii per ſpiritum vini, ut reſinoſum; alia portio, & illa quidem major, per aquam, ut gummoſum. Spirituoſum in nervos magis agit, & minus toleratur in adfectionibus nervorum: Febribus phlogiſticis, Phrenitide, Cephalalgia & Delirio. Aquoſum vero

 ro

b) Formula hæc eſt: Rec. Opii Uncias duas; Croci Unciam unam; Cinnamomi, Caryophyllorum ana Drachmam unam; fiat Pulvis, digerendus per aliquot dies in libra Vini Hiſpanici una & filtrandus. v. Pharm: Stockh. p. 200.

ro lenius eſt, ſudorem vehementius expellit & corpus reddit agilius. Vide JONES *Myſtery of opium*, qui hæc omnia egregie explicat. Vinum vero tum reſinoſum, tum gummoſum ſolvit.

Sapor admodum amarus eſt, acri admixto; hinc, ut *amarus*, inquinans eſt, & ut *acris* penetrans, diutius linguæ adhæret & in ſolidas quoque partes agit.

Odor. Omnia tetra ſunt narcotica, nervorum actiones ſuffocantia, & ſpirantibus analepticis ſeu incitantibus oppoſita. Hæc igitur omnia nervos ex parte ſopiunt, unde actio animalis & omnes in corpore motus dependent. Vid. *Clavis Medicinæ p.* 22. Et ex odore tetrorum omnium facile judicari poteſt, quod ſint narcotica & vitæ inimica, quæ ſi doſi ſumuntur juſto majori, pupillam dilatant & iridem quaſi paralyticam reddunt: unde Medici, quando in Pharmacis doſi dubiis propinandis a parciori ad largiorem doſin adſcendere coguntur; ſemper ſubſiſtunt, nec ulterius progrediuntur, ubi pupillam dilatari vident & oculos quaſi ſplendeſcere; quemadmodum de Opio, Mandragora, Belladonna, Spigelia &c. per obſervationes omnibus eſt notiſſimum. Nervi enim, qui ad oculum tendunt, maxime ſunt ſenſiles, in illis præcipue actionibus, quas intueri poſſumus. Medici igitur hæc obſervantes indicia, doſin minuunt, ne morbos efficiant paralyticos. Tetra quoque externe ſunt repellentia: ubi enim natura animadvertit hæc ingrata, atque adeo nervis ſeu medullari ſubſtantiæ corporis inimica, ſe quaſi retrahit minusque fortiter agit. Hinc adhibentur externe tantum adverſus inflammationem aut preſſionem, aut in loco quodam periculoſo, nec extra ſummam neceſſitatem adplicanda. Addi poteſt illa

illa etiam Opii qualitas, quam TOURNEFORTIUS non raro expertus eſt: nempe explorari poſſunt plantæ, utrum Acidum an Alcali contineant, per tincturam Violarum & Tornaſolis ſ. ſuccum Heliotropii tricocci, Botanicis *Croton Tinctorium* adpellatum. His Opii tinctura rufeſcit, quo ſigno acidum contentum indicatur.

§. VI. VIRES.

Vis *Opii* potiſſimum eſt *ſoporifera*, *anodyna*, *diaphoretica*, *antiſpasmodica*.

Somnifera vis Papaveris ſeu Opii ab omni antiquitate notiſſima, non operoſam requirit demonſtrationem, ſed, cum Mandragora, princeps vocari meretur ſoporiferorum. Unicum fere hoc eſt pharmacum in materia medica, quod in Agrypnia & adfinibus commendamus; ſed maxima tamen cum circumſpectione adhibendum, ubi ſomnus quaſi per vim eſt inducendus: quin & ſvaviora per quietem ſomnia plerumque conciliat; ideoque in morbis ſoporoſis caute eſt uſurpandum.

Anodyna. Dolores enim lenit Opium ac demulcet; unde a Turcis quotidie magno cum ſucceſſu ſumitur, quando ira, mœſtitia, aut alio quovis pathemate incaleſcunt: hinc etiam creditur Nepenthes Helenæ fuiſſe apud Homerum. Sed ideo tamen in morbis melancholicis non eſt porrigendum. Sumunt *Opium* Turcæ prælium inituri, ut animum addat, aut metum pellat; haud aliter ac Europæi noſtrates ſpiritum ex frumento diſtillatum, aut alias potiones inebriantes. Hinc eſt, quod pretium *Opii* apud nos mirum in modum creſcat, quando bella gerunt populi Orientales. Nos *Opium* adhibemus optimo cum effectu velut intercalare in febribus malignis, ut amphimerina &c. ubi

ubi ægrotus noctu exacerbante febri corripitur; & in variolis confluentibus, ubi febris nocturno tempore ingravescit, & exanthemata subsidere incipiunt, quando anceps est sine Opio auxilium.

Diaphoretica. Quamvis Opium evacuationes minus ordinarias sistere credatur, sciendum tamen est, illud transspirationem, sudorem & fluctum lactis ac sæpius menstruorum & lochiorum revera promovere, maxime si substantia Opii aquosa adsumitur. Perspectum hoc fuit aliquot ab hinc annis, cum Capitaneus M. T. malo sæpius cruciatus podagrico, aliquam hujus tincturæ portionem iterum hauriret iterumque; unde cito ortus est sudor vehemens, & postero die podagra remisit, quæ neque adscendendo corpus reliquum adflixit. In lochiis retentis tinctura Opii cum admixta parte tincturæ Croci inter præstantissima est remedia. Affluxum lactis Opio non impediri, sed intendi, omnibus jam est notissimum. Opium etjam agit ut aphrodisiacum; hoc enim sumto, intumescit papilla mammarum & erigitur; unde apud Turcas aphrodisiacum præstantissimum judicatur, ut ex Hodœporicis constat. Sistit vero plerumque alias evacuationes, præsertim alvinas, & sangvineas, quales sunt Hæmorrhagia, Dysenteria, Vomitus, Diarrhœa, Cholera. Tincturam Opii Acaros dysenteriæ necare proxime ad Rhabarbarina, ROLANDI docent observationes, unde frequens ejus est usus in Dysenteria, ad tormina morbi ejus domanda. In Cholera horrenda, quæ brevi tempore vires vitæ exhaurit, Medicus deplorandus est, qui ad Opium non confugit, idque sufficiente dosi porrigit, dum certius nullum huc usque inventum sit remedium. In Hæmorrhagiis ex affluente sanguine promtum fere semper præstat effectum. In Tussi & destillationibus e capite una vel altera dosis sufficere solet.

Anti-

Antispasmodica. In omnibus morbis convulsivis & spasticis Opium multum valet. In Hysteria nulla fere præscribitur formula, quam Opium non ingrediatur.

Ex altera autem parte Opium male adhibitum multa adfert incommoda. Majori justo quantitate propinatum Lethargum & morbos soporosos efficit. Non in morbis *Melancbolicis* dandum est, ubi Maniam accelerare potest; non in Phthisi, nam inde excitatur Hydrops, quamvis a dosi Opii detumescant hydropici. Opium externe adplicatum debilitat corpus & tandem exulcerat. In Dysenteria maximi momenti est, sed nimius usus Opii efficit, ut ægrotus, debellato morbo, diutius tormina sentiat.

§. VII. USUS.

Plura de Opio differere superfluum duco, ne videar Iliada post Homerum scribere; cum, quæ de viribus Opii dici possunt, TRALLES, in aureo libello a. 1757. edito *de usu Opii*, absolverit.

Verbo itaque quæ restant complectar:

Sangvinem accelerat, volumenque ejus auget & ad caput determinat. Respirationem incitat, difficilioremque reddit.

Animum roborat, sensus obtundit, dolores, spasmos evacuationesque sistit, Ebrietatem movet, somnum cum insomniis invitat, languorem inducit, Diaphoresin movet, venerem stimulat, alvum obstruit, ventriculo nocet.

In determinatione Generum morborum, in quibus valet, semper ratio habenda specierum ex caussis.

Contagia: Febres malignæ, Variolæ.

Dolores: Cephalalgia, Odontalgia, Cardialgia, Colica, Iliaca, Nephritis, Arthritis.

Con-

Convulsiones: Hysteria, Singultus, Tussis, Alterationes.

Evacuationes: Vomitus, Cholera, Diarrhœa, Dysenteria.

Dosis in adsuetis diuque usis multum augeri potest; sed nimia insuetis inducit Fatuitatem, Delirium, Convulsiones, Apoplexiam.

§. VIII. PRÆPARATA OPII.

Appendicis loco quasdam de præparatis Opii observationes addere lubet. In his purificatio primum tenet locum, unde Opium colatum seu extractum Thebaicum; in quo præparando non omnes eandem servant methodum. *Codex Parisiensis p.* 50. vino Gallico purificandum opium dictitat. D. BAUME', in libro, quem inscribit, *Elémens de Pharmacie théorique & pratique*, aquam rectius adhiberi judicat: quem sequuntur Londinenses, Edimburgenses, Pharm. Danica & Svecica; Wurtembergenses succum Citri adjungunt.

Omnes exiguam humidi portionem in hoc processu commendant, ne diminuantur nimium ac separentur partes resinosæ; quam rationem *Pharmac. Lond. p.* 24. diserte adducit. Resina forte per aquam præcipitatur, idque eo fortius, quo major adfuerit copia: sed heic inter partes resinosas & gummosas tam arcta est conjunctio, ut, quo demum cunque utaris menstruo, continuam mutuo servent consistentiam.

Si vero, quemadmodum istis placet Scriptoribus, aqua justo parcior adhibeatur, ita ut pondus Opii illius mensuram æquet, vel paululum superet, solutio vix obtinetur, & colatio difficilior pressionem requirit, ubi simul fæces transmittuntur; contra, si aquam largius adsumseris, hoc vitatur incommodum. Cfr. *Pharm. Dan. p.* 176. Ipse quoque cola-

colatum ſucco Citri & Acido minerali exploravi: ſed reſinam inde coagulari non vidi, ut ſit in Aloë & ſimilibus, plus reſinoſæ, quam gummoſæ materiæ comprehendentibus: quæ ratio contra Wurtembergenſes militat. Deinde extracto, cui acidum erat admixtum, ſolutionem alcali ad ſaturationem uſque inſtillavi; quo facto magnam reſinæ ſeparatæ nactus ſum copiam, unde cohæſio harum partium intima pateſcit, & diminutio reſinæ in majori aquæ portione, contra Londinenſes, refellitur.


Pharm. Stockholmienſis vetus menſtruum præſcribit ſpirituoſum, ut partes Opii reſinoſæ ſimul ſolvantur. Pars enim narcotica ſulphure conſtare credebatur, unde Pharm. nuper dicta uſtulationem præmittendam ſvadet. Nonnulli etjam ex hac hypotheſi Opium ad carbones fere uſtulabant, quod dicebatur *incineratum*. Hic vero proceſſus, ubi Opium in lamellas tenues diſſectum & ferreo exſiccatum vaſculo lentius uſtulabatur, medicamenti hujus adcurati dubium ſemper reddebat effectum, ideoque non ſine cauſſa exolevit.

Ceterum ex Opio varia parantur medicamina in formam Pulveris, Elixirii, Tincturæ, Electuarii & Pilularum, aliis plus minus calidis materiis admixtis. Sic, in Pharmacopœa nuper edita, Pulvis ſedativus fit; adjecto tantum Nitro & Sacchario; Elixirio autem Paregorico & Pectorali, Pilulis e Styrace & Theriacæ calidiora quædam Opio ſunt admixta, ſed numero longe minori, quam in Pharmacopœis antiquioribus, ubi e. g. in Theriaca 60. ad 70. ſpecies inveniuntur congeſtæ, quarum nonnullæ adeo ſunt ſibi repugnantes, ut effectum prorſus impediant. Ceterum heic certum quæritur anodynum, ſed nihilo minus laxantia, adſtringentia, imo ſtyptica commiſcentur, ut cetera calidiora & minus apta reticeam. Hinc Pharmacopœa Edimburg. quæ anno 1761. prodiit, ingredientia Theriacæ


riacæ ad numerum diminuit novenarium, ubi cuncta eidem scopo inserviunt. Pharmacopœa Stockholmiensis, hoc anno edita, hanc Theriacæ formulam adcuratius emendavit. Additur enim Syrupus Sambuci, qui consistentia sua agili Theriacam a fermentatione, exsiccatione, situ, acescentia & putrefactione, servato simul pondere, conservat; quem quidem effectum Rob Sambuci, utpote fæcula non satis siccata, præstare nequit. In Diascordio etjam Pharmacopœæ recentiores numerum specierum ingredientium passim minuunt. Nova Pharm. nostra ad tertiam usque partem illas laudabili compendio præcidit. Edimburgenses, Scordio tantum excluso, confectionem vocarunt Japonicam. In Pharmacopœa Danica portio Opii insigniter est diminuta, servato melle ad Electuarium: ceteri recentiores, præter Parisienses, quibus Mel Rosarum placuit, Syrupum substituerunt, & quidem Londinenses Syrupum de Meconio, ut maxime consentaneum. Nostrates Syrupum Rosarum, perinde atque Edimburgenses, adoptarunt. Qua in compositione loco Fabæ Pichurim, quæ exotica est, commendari forte potuisset aroma quoddam indigenum, aut minori pretio parandum. In Elixirio Antihysterico eædem comparent species atque in compositione Dyriettiana; nisi quod loco Salis Cornu Cervi Spiritus sumitur, post digestionem addendus, & loco Essentiæ Castorei, qua Elixirium adornat auctor, Castoreum dispensatur, cum ceteris speciebus digerendum; unde liquidum simul obtinetur Elixirium. Reliqua sunt Elixirium Paregoricum seu Londinense, Elixir. Pectorale, Pilulæ e Styrace, Pulvis Alexiterius.

CLXIX.

Tab. VI.



J. Afzelius del.





CLXIX.

BIGÆ INSECTORUM

QUAS

PRÆSIDE

D. D. CAR. V. LINNÉ

proposuit

ANDREAS DAHL

Westrogothus.

Upsaliæ 1775. Decembris 18.

In consideratione naturæ nihil potest esse supervacaneum. PLIN.

---

§. I.

Scientias modo perquam singulari capere incrementa, earumque alteram alteri palmam præripere, quemadmodum alia quæcumque in vita communi, animadvertit attentus rerum contemplator. Non multis abhinc annis scientia Botanices, ratione medicamentorum habita, Medicis solum putabatur necessaria: nostris vero temporibus Oeconomus quisque meliora edoctus, illam suæ scientiæ firmissimum ponere fundamentum, agnoscit. In Zoologia excolenda serius collocata

fuit opera: grandiora quidem animantia hominibus multiplicem adferre utilitatem existimabantur; sed Insecta Vermesque ut prorsus inutiles respiciebantur. Illa, si paucissima quædam exceperis, v. gr. Anserem scoticum, per generationem univocam, hæc autem per æquivocam propagari credebantur, & indigna omnino, ad quæ animum attenderent homines. Aucta vero illorum cognitione, deprehendimus, hæc etiam a Creatore præstantissimis ornata esse dotibus, ad Oeconomiam Naturæ sartam tectamque habendam quam maxime necessariis. I:mo hæc, licet minima, multitudine tamen individuorum cujuslibet speciei simul sumta, compensant molem maximorum animalium, ut Camelorum, Cetorum, Struthionum, cet. Hæc quoque paucos, illa vero innumeros procreant foetus. II:do Insecta numero specierum cujusque generis, animantibus ceteris longe præstant. Quænam ingentium animalium, seu sanguineorum, ex tanta specierum copia constant, quanta in exsanguibus insectis sæpe reperitur, ut in Scarabæis, Gryllis, Cimicibus, Papilionibus, Phalænis, Muscis, cet. quorum species sunt ultra centum? III:o Animantia singula suis prædita sunt instrumentis, ad opus aliquod in theatro Naturæ peragendum destinatis. Quibus inter tot species, tam diversa, quam his, concessa sunt instrumenta, ad functiones adeo differentes accommodata? Majoribus nostris aliquot tantum centena insectorum innotuere, nobis autem ultra tria millia; quamvis minima pars Indicorum adhuc sit detecta. IV:o Quo fieri posset, ut natura consisteret, & altera herba ab alterius oppressione esset libera, his destituta ministris, qui, si ejusdem essent magnitudinis, ac reliqua animalia, & nos & ceteros terræ incolas prorsus perderent.

§. II.

§. II.

Omnium opinione innumeræ erant inſectorum ſpecies, quamdiu per generationem æquivocam produci credebantur, usque dum Nob. D. Archiater & Præſes infatigabili labore in ſyſtema redegerat, Genera, Ordines & Claſſes, cum deſinitis Speciebus, continens. Quum parva hæcce animalia, unumquodque in ſuo genere, æque inter ſe ſimilia eſſe, ac grandiora, viderent naturæ ſcrutatores; in enucleanda inſectorum hiſtoria indeſeſſam collocare cœperunt operam. Licet cujusvis utilitas hucusque nobis non ſit perſpecta, Naturam tamen nihil fruſtra feciſſe a priori certo concludere poſſumus. Præterea neceſſe eſt, ut ſingula ſuis inſigniantur nominibus, quo facilius obſervationes noſtras cum aliis communicare queamus.

Nomina ſi pereunt, perit & cognitio rerum.

§. III.

Plurima inſectorum genera jam dum eſſe detecta, obſervamus, eorum conſiderata hiſtoria. D. D. THUNBERG, qui ſingularem omnino operam rebus impendit entomologicis, per literas commemorat, ſe ſub itinere triennii ad Caput bonæ ſpei vix ullum genus novum reperire potuiſſe; & longius latiusque peregrinatus D. D. FORSTER, qui regiones inviſit circa polum antarcticum ſitas, neque ibi nova inſectorum genera, ſed pauciſſimas tantummodo ſpecies, ſe deprehendiſſe, narrat. Unde patet, genera inſectorum nova admodum eſſe rara, niſi ante cognita quispiam vellet ſeparata, ut *Hydroum* a *Dytiſcis*, *Ipſidem* a *Dermeſtibus*, &c.

Unum inſectis eſt ſenſus organum, a Creatore eis ſolum conceſſum, quod *antennarum* nomine inſignitur, & cujus functio æque eſt difficilis perſcrutatu, ac viſus inveſtigatio ſine oculis, & olfactus

ſine naſo. Hiſtoriam inſectorum inſpicientes, animadvertimus, antennas haſce, v. g. Coleopterorum, multiplicis admodum eſſe ſtructuræ, qua non obſervata, in diſtinguendis generibus ſtatim erramus; quippe quæ ſola naturalem conſtituit characterem.

Id mihi contigit felicitatis, ut duo inſecta nuperrime viderim a remotiſſimis terris huc adducta, quorum antennæ ab aliis adeo ſunt alienæ, ut cum illis ne ullo quidem modo comparari poſſint. Unde certiſſimus collegi, illa etiam duo nova diverſaque fore genera, quæ Curioſis naturæ hactenus detexit nemo. Scilicet inclytiſſimo Lond. Angl. Medico, D. D. FOTHERGILL, qui naturæ perveſtigationem in ſummis habet deliciis, & maximam inſectorum copiam, præcipue ex America ſeptemtrionali & Guinea allatam, poſſidet, ad Nob. Dn. Præſidem excellentiſſimas ſuas collectiones, haud ita pridem, mittere placuit. Inter alia rariora hæc duo inprimis mihi viſa ſunt adeo ſingularia, ut me Curioſis naturæ & Scrutatoribus maximam crederem conciliaturum delectationem, ſi nova hæcce genera perſpicue deſcriberem, ne oblivioni dentur, atque adeo diu fortaſſis poſthac lateant.

DIOPSIS.

Capite bicorni, oculis terminalibus.

DIOPSIS *ichneumonea*.

CORPUS magnitudine Formicæ rubræ, ſtatura Ichneumonis.

CAPUT rufeſcens, dente utrinque ad os: extenditur hoc in duo *cornua*, patentia, longitudine thoracis, ſolida, neque articulata, uti antennæ, ferruginea, terminata *oculo* globoſo, flexo, nigro. Adjecto juxta oculum *puncto* cum ſeta, antennæ rudimento.

THO-

THORAX niger, poſtice dentibus a tergo duobus ſubulatis, flavis, & utrinque ſolitariis ad latera.

ALÆ binæ, hyalinæ, verſus apicem anterius puncto nigro.

ABDOMEN (Ichneumonis) clavatum, ſubpedicellatum, articulis duobus ultimis nigris.

PEDES flavi, *femoribus* anticis clavatis.

Obſ. I. Diopſidem eſſe ex ordine Dipterorum, patet tum ex *Halteribus* ejus clavatis ſub ſua ſquamula, tum ex parva oris *proboſcide*.

II. Thorace ſpinoſo multum differt a Muſcis ceterisque Dipteris, & ad Formicarum genus propius accedit.

III. Pedibus longis, abdomine clavato & macula fuſca in apice alarum refert Ichnevmones; ejusdem tamen non eſt generis.

IV. Duobus in capite cornibus optime diſtinguitur non a Dipteris ſolum, ſed ab omnibus etiam inſectis huc usque mihi cognitis. Hæc *cornua* ſunt fixa, inarticulata, capite multo longiora, filiformia ſive cylindrica, patula & immobilia, ideoque pro antennis non reputanda. In apice ſingulorum, quod notatu digniſſimum eſt, conſpicitur oculus extrorſum nonnihil flexus, terminalis, adeoque multum a capite diſtans. Primo quidem obtutu nullum obſervatur antennarum veſtigium; ſed accuratiori adhibita attentione, juxta oculum pilus reperitur ſubtilis, e papilla minima prodiens, qui verum eſt antennæ rudimentum.

P A U S S U S.

Antennis clavatis, biarticulatis, clava ſolida, uncinata.

PAUSSUS *microcephalus*.

CORPUS magnitudine Dermeſtis lardarii, nigrum.

CAPUT minutiſſimum. *Antennæ* cum capite, thorace majores, *articulis* duobus; *inferiore* anguſtiore, minore; *exteriore* clavato, uncinato, ſolido, majore.

THORAX anguſtus, depreſſus, antice margine transverſo, elevato.

ELYTRA picea, lævia, minus dura, abdomine paullo longiora, inflexa, tenuia.

ABDOMEN poſtice fere truncatum.

PEDES, uti totum corpus, nigri.

Obſ. I. Antennis facile diſtinguitur a ceteris Coleopteris: certum enim eſt, characterem generis veriſſimum in hoc ordine ſumendum eſſe a ſtructura antennarum, quippe quæ ſunt vel *clavatæ*, vel *filiformes*, vel etiam *ſetaceæ*. Hoc Coleopteron antennas habet *capitatas*, & adeo ſingulares, ut nulla omnino ſit illarum ſimilitudo cum antennis reliquorum hujus ordinis inſectorum. Præterquam enim, quod hujus antennæ ex duobus ſolum conſtent articulis, *caulino* nempe & *capitato*; harum etiam capitula, quæ maxima ſunt & ſolida, tam mire formantur, ut in medio reflexa, minime licet acuminata, hamum exacte referant *).

II. Præterea, ſi corpus reſpexeris, invenies abdomen poſtice quaſi truncatum, ut in quibusdam Scara-

*) Ab antennis ſumendus eſt genuinus character generis; ad Dytiſcos enim *antennis perfoliatis*, quod attinet, v. gr. *piceum*, *caraboidem*, *ſcarabæoidem*, *fuſcipedem*, & *luridum*, qui *antennas* habent *clavatas*, & interim relati ſunt ad Dytiſcos *antennis ſetaceis*, licet inſtructi ſint pedibus natatoriis, in aquis degant, & ſpeciem præ ſe ferant Dytiſcorum: re tamen accuratius penſitata, proprium conſtituant oportet genus, quod quidam *Hydrophilum* appellarunt, ego vero HYDROUM mallem nuncupatum.

Scarabæis, aliisque Coleopteris; ſingulare tamen eſt, quod hujus elytra ſint abdomine longiora, truncata, & aliquantum ad apicem inflexa.

III. Thoracem habet corpore anguſtiorem, & carina transverſa a reliquis Coleopteris. multum differt.

EXPLICATIO TABULÆ VI.

1. DIOPSIS magnitudine naturali a tergo.
2. — — — — — ad latus viſa.
3. — — microſcopio aucta.
4. — — — — — a latere.
5. Frons ejus, os & cornua capitis oculata.

6. PAUSSUS magnitudine naturali.
7. — — idem a latere inſpectus.
8. — — lente viſus.
9. — — — — ſupinus.
10. — — — — a latere conſpectus.



CLXX.

PLANTA APHYTEIA

QUAM

PRÆSIDE

D. D. CAR. v. LINNÉ

proposuit Auctor

ERICUS ACHARIUS

Gevalia Gestricius,

Reg. Acad. Scient. Stockh. Adscriptus.

Upsaliæ 1776. *Jun.* 22.

---

§. I.

Dictum illud Plinii: *Semper aliquid novi ex Africa*, etiamnum valet, in primis, quod ad res attinet naturæ curiosas, studio ac industria cultorum Historiæ Naturalis, indies magis magisque detectas. Non jam integram loquor Africam, innumera, quibus abundat, naturæ prodigia si spectes, reliquis orbis partibus facile palmam præripientem; sed illam tantum ejus particulam australem, quæ promontorio Evelpidii, (Caput Bonæ Spei vocant) proxime adjacet, & quæ copia rerum naturalium, maxime vegetabilium & plantarum,

rum, ſingularis prorſus & ſtupendæ formæ ac figuræ totum propemodum orbem ſuperare videtur. Ex plantis Capenſibus, quæ ad noſtram notitiam pervenere, exempli loco nominaſſe ſufficiat *Xeranthemum proliferum*, quod *Reginam Æthiopiæ* vocant, *Phlomidem Leonurum*, *Floræ ſceptrum* dictam, *Gorteriam ciliarem*, *Euphorbiam Caput Meduſæ* & *Cacaliam papillarem*, bigam illam ob inſignem florum elegantiam, trigam hanc ob faciem non ſatis admirandam; *Fucum buccinalem*, propter aliam eamque peculiarem proprietatem, *Arctopum* inſuper, *Gunneram* & *Ferrariam*, alias ut taceam. Quod ſi plantarum genera, inſolita ſpecierum multitudine abundantia, quæras, ſane & hic deſiderio tuo fiet ſatis in *Gnaphaliis*, *Ericis*, *Proteis*, *Aſpalathis*, *Meſembryanthemis*, *Geraniis*, cum cognatis *Monſoniis* & *Grielis*, ac numeroſis, quas *Aloës perfoliatæ* hoc profert ſolum atque alit varietatibus. Cognitioni interea Floræ hujus adeo curioſæ & ſingularis, quam quia minus completam hucusque habuimus, ſtimulus inceſſit pluribus pleniorem & perfectiorem impetrandi, notabile idque auſpicato nuper acceſſit incrementum eximia Botanicorum noſtratium *a)* D. D. THUNBERG & SPARRMAN opera, qui mero Hiſtoriæ Naturalis amore ducti, eodem fere tempore terram Capenſem viſitarunt, &

---

a) D. THUNBERG ante annum & quod excurrit, relicto Capite bonæ ſpei, in quo ſedulus fuit rerum naturalium ſcrutator, ad Japoniam ſe contulit: D. SPARRMAN conſummato feliciter itinere ad terras incognitas auſtrales, Evelpidium, unde ante biennium cum dimidio exierat, redux, ibi per annum manere longiusque regionem hanc penetrare ſtatuit, eodem uterque fine ac propoſito. Faxit Deus, ut ex voto conamen amborum ſuccedat, proſperumque det in Patriam reditum, ſic enim pluribus adhuc ditatum iri Hiſtoriam Naturalem, inventis, læti ſperamus!

thesauros naturæ, ibi reclusos, summo ardore ac studio pervestigarunt, novisque adeo inventis, pluribus præsertim plantarum generibus, locupletarunt. In copiosissima, quam domum transmiserunt collectione, plurima licet admiratione digna obveniant, meam tamen maxime excitavit attentionem *Aphyteia*, adeo quæ Fungum assimilat, ut, planta licet, e familia Fungorum primum habita sit, haud aliter ac *Cynomorium, Clavariæ* quondam species creditum. Hinc dignam eandem judicavi, quæ publica Dissertatione illustraretur, meque operæ pretium facturum spero, dum plantam hanc rite cognitam ulteriori subjicio examini. Quod quidem eo lubentius facio, cum hoc ipso promissum NOB. DOM. A. & PRÆSIDIS in Actis Holmiens. haud ita pridem datum, impleri videam. Est hoc *novi illud ex Africa*, quod Tibi L. B. ante oculos ponere jam mihi contigit, & cujus faventem Tuam mihi polliceri audeo censuram.

§. II. APHYTEIA.

est plantæ genus cui:

CALYX *Perianthium* monophyllum, semitrifidum, infundibuliforme, magnum, carnosum, erectum, persistens.

COROLLA *Rudimenta* Petalorum trium, calycis laciniis adnata, vel potius nulla.

STAMINA *Filamenta* tria, inferne connata, brevia. *Antheræ* convexæ, cordatæ, striatæ.

PISTILLVM *Germen* inferum. *Stylus* crassiusculus, brevis. *Stigma* trigonum canaliculatum.

PERICARPIVM *Bacca* unilocularis.

SEMINA numerosa, nidulantia.

Ad

Ad classem igitur XVI. *Monadelphiam*, & Ordinem quem novum condit, *Triandriam*, erit referenda.

TOURNEFORTII Infundibuliformes, *Calyce in fructum.*

RIVINI Regulares monopetali, *Pericarpio molli.*

MAGNOLII Calyce solum infero, *Fructu molli.*

PRÆSIDIS Calycina apetali, *trifido.*

§. III.

Partes plantam constituentes, sunt quidem: 1:o Radix alens, 2:o Herba movens, uti caulis & folia, 3:o Fructificatio generans; at nulla cum omnino herba nostræ sit plantæ, APHYTEIAM (a Gr. α priv. & φυτεία) dicere NOB. DOM. PRÆSIDI placuit. Qualem in toto Floræ exercitu nequicquam quæras!

§. IV.

Habitat ad Caput bonæ spei, pone montes sic dictos Bockfeldenses, in Carris, seu campis circumjacentibus vastis, sabulosis, aridissimis, qui tam admirandis quam ingentibus superbiunt plantarum succulentarum cohortibus, ubi in radice *Euphorbiæ* est *Parasitica*.

§. V.

Inventor est D. Doct. C. P. THUNBERG, Smolandia - Suecus, anno 1774, dum itinere ad memoratum locum instituto, per triennium, quo ibi degit, ultro citroque terram adjacentem Caffeariæ peragravit, complures ibi novas, quæ reliquorum antea hic Botanicorum visum sugerant, plantas detexit, estque primus, qui eam descripsit in actis

actis Holmiens. ubi appellata: Fungus, *Hydnora Africana*. ann. 1775. p. 69. tab. 11.

§. VI.

A temporibus inde Svammerdamii perspectum nobis sat habuimus, plantas haud secus ac Insecta, omnimodam subire metamorphosin, inter quas quidem licet dentur partim tam exiguis foliis gaudentes, ut fere oculo inermi sese subducant, quales e. g. sunt *Ephedra*, *Salicornia*, *Pallasia*, *Anabasis* & *Cynanchum viminale*, partim aphyllæ penitus, ut variæ species *Euphorbiæ*, in primis autem plantæ parasiticæ, *Cytinus* nempe *Hypocistis*, *Monotropa*, *Hyobanche*, *Orobanche*, *Obolaria*, *Lathræa clandestina*, *Cuscuta*, *Cassytha*, *Tillandsia usneoides*, *Visci* aliquot, caulescentes tamen sunt omnes, hæc vero nostra ab iis facile omnibus, hac in re diffidet, utpote quæ acaulis, ne rudimenta quidem foliorum gerit. Hæ, quas foliis destitutas cernimus, neque opus fere iisdem habent organis motus futuris, siquidem nutritium hauriunt succum omni parte præparatum, a planta vel arbore, cui adnascuntur. Vita enim omnis in motu, qui foliorum in plantis peragitur officio, consistit. Vices autem foliorum, calyx ille carnosus ac succulentus APHYTEIÆ implet. Solitaria denique unico tantum flore *b)* crescit, quem tamen adeo construxit grandem natura, ut æqualem in ulla alia huc usque cognita planta parasitica, offendere non potuerim. Quod autem radix plantæ nostræ non sit fibrosa, pluribus commune est parasiticis, e. g. *Visco*, ubi caulis, surculi instar vel inoculationis, arbori sese inserit, eadem, ac in *Lorantho*, ratione.

§. VII.

b) Id quod maxime singulare, cum *Cynomorio* sit amentum pluribus commune flosculis, & *Lathrææ clandestinæ* caulis infra terram ramosus.

§. VII.

APHYTEIA *Hydnora.*

Hydnora africana. *Acta Holm.* 1775. *p.* 69. *tab.* 11.

Flos palmaris, feffilis, coriaceus, fubcarnofus, fubfucculentus.

Planta nulla, absque foliis & caule, immo vero absque radice *), parafitica, terreftris.

Fructificatione fola conftans planta, eaque folitaria.

CALYX magnus, limbo tripartito bilabiato, externe qvafi extra finu duplicato, interiori latere rubro, membranaceo, picto figura fcutiformi alba, loco petalorum.

§. VIII.

Defcriptionem, quam concinnavit D. D. THUNBERG in Actis Holm. l. c. heic inferam.

CALYX carnofus, fubteres, palmaris, primum claufus, dein apice dehifcens. *Ante* aperturam apice triqueter, fupra bafin parum dilatatus; extus lacunofus, lacunis pubefcentibus, rufefcens, tuberculis elevatis, obtufis, fubfufcis. *Poft* dehifcentiam fuperne in tres limbos divifus; inferne infundibuliformis.

LACINIÆ Limbi fublanceolatæ, obtufæ, planta dimidio breviores, divaricatæ, apicibus inflexis; margines externi parum extrorfum flexi, interni dilatati, oblique inflexi, bafi in dentes 3 coëuntes, ciliis muricati. *Cilia* inftar *Hydni* imbricata, albo incarnata, exteriora longiora, interiora fenfim breviora.

COROL-

*) Radicem horizontalem, depreffam, nodofam, craffit. digiti, fufcam, interne rubram, anno 1776 a fe detectam, Celeb. THUNBERGIUS in *Actis Holm.* 1777 defcripfit & *tab. IV.* una cum fructu depingi curavit. *Adv. Edit.*

COROLLA tripetala. *Petalum* singulum intra margines inflexos, limbo calycis adnatum, cordato-oblongum, carnosum, niveum, pollicare.

STAMINA *Filamenta* tria, tubo medii calycis inserta, lata, in unum corpus coalita, semiunguicularia, extus antheris fere ad basin tecta; intus nuda, concava, alba. *Antheræ* tres, cordatæ, striatæ, carnosæ, glabræ, albo incarnatæ, basi connatæ, apice liberæ, obtusæ, conniventes. *Pollen* tenuissimum, sulcis antherarum insidens, album.

PISTILLUM *Germen* infra stamina convexum, carnosum, glabrum, album. *Stylus* crassissimus, brevissimus, subnullus. *Stigma* trigonum, convexo-planum, trisulcatum; Sulcis e centro ad angulos exeuntibus, transverse tenuissime striatum, album.

PERICARPIUM *Capsula* basi plantæ inclusa, carnosa, alba, trigona, multisulcata.

SEMINA nulla; sed corpuscula ovato-cylindrica, plurima, verticalia, totam fere capsulam replentia, superne affixa, petiolata, inferne & lateribus libera; intus carnea, solida, carnosa; extus globulis minimis, subpellucidis, niveis obsita. *Petioli* breves, subfasciculati.

§. IX.

Synonyma descriptioni huic additurus, Plukenetii, Raji & recentiorum quæ sunt Botanicorum scripta, quos ad plantam adeo notabilem adtendisse suspicabar, frustra perquisivi: unde nulli antea videtur innotuisse.

§. X.


Plantam recens inventam Ordini suo naturali adscribere student Botanici, quod tamen in hac

mihi













mihi non ſucceſſit; ab omnibus enim plantis huc usque notis adeo eſt diverſa, ut ne veſtigium quidem aut ſimilitudinem ullam Ordinis, qui jam innotuit, naturalis indagare potuerim. Affinitatem ejus cum *Cuſcuta* non cogitare, nedum ſtatuere audeo.

§. XI.

Maxime in hac planta obſervari meretur ſimplicitas. Reliquas novimus plantas eſſe compoſitas, nam intra folia ſingula gemmam habent actu vel potentia; ramos protrudunt caule abſciſſo; bulbis diviſis nova excreſcit planta; tuber *Solani tuberoſi* diſſectum in plures multiplicatur herbas; ſed hæc, caule, foliis & radice perfecta carens, & unico tantum flore inſtructa, omnium ſane eſt & manet ſimpliciſſima. Quamvis igitur plantas animalibus ſimiles eſſe compoſitis, aut animalia plantis ſimilem habere ſtructuram crediderint Botanici, univerſale tamen hoc aſſertum per ſolam APHYTEIÆ exceptionem videtur limitandum; aut certe ulteriori diſquiſitioni ſubjiciendus Canon: *Omnia vegetabilia ſunt compoſita.*

EXPLICATIO TABULÆ VII.

Fig. 1. PLANTA ſtructura naturali.
2. Macula in calyce, ſimulans Petalum.
3. CALYX a facie externa.
4. — — — interna.
a Margo ciliatus.
b Rudimentum Petali.
5. STAMINA.
c Antheræ incurvæ, ſtriatæ.
6. PISTILLUM.
d Stigma.



CLXXI.

HYPERICUM

QUOD

PRÆSIDE

D. D. CAR. V. LINNÉ

PRO GRADU DOCTORIS

proposuit

CAROLUS NICOL. HELLENIUS,

Tavastia Fenno,

Mag. doc. ad reg. Acad. Aboënsem.

Upsaliæ 1776. *Novembr.* 20.

Ea fere est humani generis conditio, ut, si varia hominibus concedantur, e quibus unum tantummodo eligere possint, uni hoc, alteri illud placeat; unusquisque tamen suas habet atque adducere potest caussas, cur unum præ alio amet. Hinc mirum non est, me, post Academicorum studiorum meorum curriculum, *Hypericum* pro Dissertationis materie elegisse, præsertim quum ex ipsa infantia splendidissimi Floræ campi plurimum mihi arriserint, & neotericorum quorumdam novitatem non satis admirari potuerim, qui plantam hanc olim summis celebratam laudibus, ita vilem jam faciunt, ut ex officinas illam rejectam optaverint. Tu interim B. L. si in amplissima hac materia vires defecerint, & in conscribendi ordinem error irrepserit,

rit, & rudior ſtylus offenderit, benigno ut interpreteris animo, rogo & confido.

§. I.

Claſſes, quibus ab Auctoribus Botanicis inſeritur:

A CÆSALPINO refertur ad Claſſem VIII, Herbaceas, triplici principio, non bulboſas, & Ordinem III, quibus ſemina plura in ſingulis alveolis.

A MORISONO ad Claſſem VIII, a numero Capſularum & Petalorum dictam, & Ord. II. Tricapſularium Pentapetalarum.

A RAJO ad Claſſem XXIII, Pentapetalas vaſculiferas, & Ord. I. quibus Folia ex adverſo bina.

Ab HERMANNO ad Claſſ. X, Tricapſulares, & Ord. I. Polyſpermarum.

A BOERHAAVIO ad Cl. XVII, Triangias, & Ord. I. Polyſpermarum.

A RIVINO ad Cl. V. Regulares Pentapetalas, & Ord. V. Pericarpio tricapſulari.

A RUPPIO & LUDWIGIO ad eamdem *Rivini* Claſſem & ordinem refertur.

A KNAUTIO Filio ad Cl. XII. Pentapetalas uniformes, & Ord. XVIII. Capſulis tricapſ. membran. polyſpermis.

A TOURNEFORTIO ad Cl. VI. Roſaceas, & Ord. IV. Piſt. in fr. multicapſularem.

A MAGNOLIO ad Cl. XII. Calyce externo & interno polypetalas, & Ord. I. Flore regulari, Fr. capſulari.

A Generoſiſſ. PRÆSIDE ad Cl. XVIII. Polyadelphiam, & Ord. III. Polyandriam.

Ab HALLERO ad Cl. III. Polyſtemones, & Ord. IV. multiloculares.

A ROYENO ad Cl. XVIII. Polyantheras, & Ord. I. Pericarpio ſimplici.

A WACHENDORFIO ad Cl. II. Anisostemonopetalas, & Ord. I. Pleostemones, styloïdeas, tristylas.

Ordine naturali pertinet ad Rotaceas Cl. XX. ob florem rotaceum.

§. II.

GENERIS hujus character hic est:

CAL. *Perianthium* quinquepartitum: *laciniis* subovatis, concavis, æqualibus, persistentibus.

COR. *Petala* quinque, oblongo - ovata, obtusa, patentia, altero margine breviora, tenuiora.

STAM. *Filamenta* plurima, capillaria, basi coalita, in 5 s. 3 phalanges. *Antheræ* parvæ.

PIST. *Germen* superum, ovatum. *Styli* interdum 5, 3, s. 1. simplices, distantes, longitudine staminum. *Stigmata* simplicia.

PER. *Capsula* aut *Bacca* in tot loculamenta divisa, quot styli fuerint.

OBS. *Ascyri* genus distinxit *Plumier*, sub nomine Hypericoïdes, Stylis duobus, Calyce diphyllo, Petalis quatuor, Capsula bivalvi. Huic generi consultius judicamus inserere *Hyperica digyna*. Etenim *Hæc* aut excludenda sunt e genere *Hypericorum*, aut totum genus *Ascyri Hypericis* subjiciendum, quum illud ex tota sua natura ad Hyperica accedere videatur.

§. III.

GEMMÆ hoc in genere construuntur a Petiolis, & eum in modum, ut recte ad *Oppositivas petiolares* referantur. FOLIATIO est *imbricata*, folia enim parallele, superficie recta, sibi invicem incumbunt.

§. IV.

SPECIES sub hoc genere cognitæ, sunt sequentes:

PISTIL-

PISTILLIS QUINQUE.

balearicum. H. foliis ramisque cicatrisatis. ♄

kalmianum. H. stipulis geminis, foliis lanceolatis. ♄

cayanense. H. corollis hirsutis, foliis utrinque glabris, bacca. ♄

bacciferum. H. corollis hirsutis, foliis subtus incanis, bacca. ♄

calycinum. H. foliis obtusis, capsula. ♄

Ascyron. H. foliis acutis, capsula. ♄

guineense. H. floribus pentagynis subumbellatis, caule fruticoso, ramis teretibus, foliis ovatis acutis. *Vid. Tab. VIII. Fig.* 1.

Habitat in *Guinea. And. Berlin.* ♄

Frutex cortice cinereo; in singulis *ramulis* duæ *oppositiones foliorum: inferiori* foliis minoribus.

Rami læves, teretes.

Folia opposita, petiolata, ovata, acuminata, lævia, integerrima.

Pedunculi oppositi ad latera foliorum superioris paris, patuli, longitudine plerumque folii, bifidi s. trifidi, multiflori subumbellati.

Calyx quinquepartitus, lanceolatus, concavus.

Petala erecta, supra medium patentia.

Nectarium glandulis quinque, ovatis.

Filamenta brevia, basi in quinque phalanges connata, petalorum basi adnata, petalis breviora.

Germen subrotundum, quinquangulare. *Styli* quinque, filiformes. *Stigmata* subcapitata.

Capsula 5 - angularis, 5 - locularis, 5 - valvis.

Semina plurima.

PISTILLIS TRIBUS.

Androsæmum. H. fructu baccato. ♄
olympicum. H. flore foliis majore. ♄
petiolatum. H. foliis subtus tomentosis, caule tetragono. ♄
canariense. H. paniculatum, caule ancipiti. ♄
hircinum. H. pistillis flore longioribus, odore hircino. ♄
orientale. H. foliis crenatis, sagittatis. ♄
scabrum. H. caule scabro. ♄
repens. H. foliis linearibus, obtusis, caule repente. ♃
prolificum. H. foliis linearibus, caule ancipiti. ♄
ericoïdes. H. foliis linearibus, imbricatis. ♃
canadense. H. centaurii minoris facie, floribus minutissimis. ☉
virginicum. H. foliis semidecurrentibus. ♃
mexicanum. H. floribus trigynis, ramis simplicibus, foliis imbricatis, ovatis. *Vid. Tab. VIII. Fig.* 2.

Habitat in *Nova Granada. Mutis.* ♃
Caules pedales, simplices, varicibus foliorum scabri, perennantes.
Folia ovata, sessilia, opposita, subimbricata, obtusa, avenia, lævia (*citri*).
Corymbus terminalis, dichotomus, sessilis, foliis non longior.
Petala linearia.

quadrangulare. H. caule quadrangulo, foliis absque poris pellucidis. ♃
perforatum. H. caule ancipiti, foliis quasi poris perforatis. ♃
humifusum. H. filiforme, procumbens. ♃
crispum. H. foliis undulatis. ♃
perfoliatum. H. panicula subdichotoma. ♃
elodes. H. villosum.

barba-

barbatum. H. vid. *Jacquin. Austr. Part. III. p.* 33, *tab.* 259. differt a ceteris caule tereti, foliolis calycinis barbatis.

β. PISTILLIS 3. CALYC. ET BRACTEIS SERRATO-GLANDULOSIS.

montanum. H. læve. ♃
hirsutum. H. caule pubescente. ♃
tomentosum. H. foliis tomentosis. ♃
ægyptiacum. H. caulibus suffruticosis, compressis. ♄ *Vid. Tab. VIII. Fig.* 3.
pulchrum. H. foliis amplexicaulibus, cordatis, glabris. ♃
nummularium. H. foliis cordato-orbiculatis, imbricatis. ♃
Coris. H. foliis subverticillatis. ♃

PISTILLO UNICO.

chinense. H. monogynum. ♄

§. V.

Ex his omnibus solum nostrum natale quinque tantummodo profert species, nimirum *quadrangulare*, *perforatum*, *humifusum*, *hirsutum* & *montanum*. Unicum vero, quod nomine triviali *perforatum* appellamus, in officinis receptum est, distinctum a reliquis omnibus foliis suis certe singularibus, quæ nempe soli obversa innumeris fere poris, acu quasi trajectis, aciem tum nostram, tum solis radios transmittunt. Ex qua ejus qualitate, nullo negotio, invenimus rationem denominationis illius latinæ, qua *perforatum*, & græcæ, qua *Hypericum* audit, quæ ultima demum nomen totius generis constituit. Teste enim BOERHAAVIO, *Hypericum* conflatum est e græcis vocabulis ὑπὲρ & εἰκὼν, quæ indicarent, quod per folia hujus plantæ rerum obviarum imagines videri possent *a*). Hi autem pori, oculo armato

a) Vid. *ejus Hist. plantar. p.* 324.

mato examinati, aliam prorſus ſibi induunt indolem; clariſſime enim mox patet, quod revera ſint veſiculæ lentis forma, pellucidæ, & oleo limpido, balſamico plenæ, non ſecus ac pyxides, ut ita dicam, olidæ & globoſæ, quæ in epidermide fructus citri occurrunt.

Herbacea eſt hæc noſtra planta, hinc male illam ut fruticoſam deſcripſerunt *Cæſalpinus* & plurimi Veterum.

Caulem habet ancipitem, non vero, ut iisdem placuit, teretem. Quod probe obſervandum; præterquam enim, quod ſtructura caulis conſtans ſit nota ſpecierum in toto hoc genere, fieri etiam poteſt, ut hac neglecta facillime confundatur cum *Hyperico quadrangulari*, viribus longe inferiori, alias ſibi ſimillimo, quod pluries factum audivi a Pharmacopolis Botanices ignaris, cuique illorum errori adſcribendum eſſe exiſtimamus, quod hujus plantæ uſus, olim præſtantiſſimus, noſtris jam temporibus eo usque eviluerit, ut paſſim ac propalam contemtui ſit.

In collibus & dumetis habitat, & a Generoſiſſ. Dn. Præſide in *Stationibus plantarum* refertur ad *montanas* & ordinem *collinarum*. Flores protrudit menſe *groſſificationis*, qui, ut notum eſt, illud complectitur temporis intervallum, quod intercedit floreſcentiam *Hemerocallidis flavæ* & *fulvæ*. Varia apud varios obtinet nomina; a Suecis appellatur *Johannis ört*, a Scanis & Gothlandis *Hirkenpirk*, a Fennis *Verän heino*. Norvegis *Prikked mandeblod*. Danis *St. Hans urt*, *Jordhumle*, *Blodblomſter*. Germanis *Johanniskraut*. Belgis *St. Johans kruyd*. Anglis *St. John's wort*. Gallis *Millepertuis*. Italis *Herba roſſa*.

§. VI.

Quod ad QUALITATES Hyperici noſtri attinet, *Sapor* foliorum & floris, ante plenam floreſcentiam, pinguis eſt cum amaritie quadam, ſeminum vero

vero maturorum amarior, inſtar amygdalarum amararum. *Odor* eſt ſuaveolens, & tempore quo nuptias celebrat, aromatico-ſpirans.

Maxima vis hujus ſita eſt in foliis, quippe quæ innumeris ſuis veſiculis multum balſamici continent, immo et in polline antherarum. Hinc ergo colligenda ſunt ante eruptionem floris, utpote quo tempore folia vegetiora ſuccique pleniora ſunt, & flores polline antherarum nondum caſtrati, verum contriti abundantiſſime dant ſuccum illum oleoſum & ſpirituoſum, valde inſicientem, ſanguinis humani inſtar ruberrimum, quem tanti fecere Veteres, & ex quo herbæ etiam nomen: *Androſæmum*, dederunt, a græcis vocabulis ἀνὴρ & αἷμα compoſitum. Caules & ſtipites rejiciuntur, auctoritate Boerhaavii, qui illa raucedinem excitare poſtulat.

§. VII.

Ex allatis his Hyperici qualitatibus abunde certe pateret, herbam hanc tantis, plurimis in morbis, gaudere viribus, ut vix alia quædam majoribus; ſed quum ratiocinia de virtutibus plantarum, e qualitatibus earum depromta, ut nimis theoretica, non omnibus placeant, miſſa illa lubens facio, ad experientiam mox provocans, quæ ab antiquioribus retro temporibus huic, ob eximium ejus uſum, in officinis ſi non primum, certe neque ultimum dedit locum.

Inter præſtantiora *reſolventia*, præſertim ubi vitium ſit a ſanguine grumoſo, jam inde a *Camerarii* temporibus inclaruit *b)*; hinc ut remedium quoddam divinum habitum eſt in adfectibus *renum* & *veſicæ c)*, & propinabatur ſub forma electuarii, ex conſer-

b) Vid. *Sim. Paulli Fl. Dan. P. III. p.* 154.
c) Vid. *Zacut. Luſitan. L. III. Med. Hiſt.* 38.

conserva malvarum & rosarum cum f. q. seminum Hyperici *d*), quod Timæi, ab auctore, nominarunt.

In usu *vulnerario*, præcipue nervosarum partium, tantis sæpe encomiis laudata est, ut *Paracelsus* apertissime pronunciet, quod in vulneribus consolidandis & sanandis nulla huic par sit in toto terrarum orbe. In admirationem raptus, pluries audivi D:num Præsidem narrantem de Chirurgo quodam Scanico, cognomine *Snell*, qui sola tinctura Hyperici cum aliquot guttis tincturæ Aloës vulnera sanavit, quæ omnium judicio, non solum gangrænam & sphacelum, sed ipsam etiam mortem minabantur. Casum habemus etiam a *Foresto e*), notatu certe dignissimum. Puer enim, qui tam graviter in fronte contusus erat cum cranii fractura, ut mox deliraret, & quidquid in buccam veniebat, evomeret, perfecte curatus fuit sola inunctione Olei Hyperici in fronte. Hinc in Species, Balsama, Olea, Gargarismata, Injectiones, Unguenta: verbo, in omnia fere remedia vulneraria, ingreditur *f*).

Inter *antihectica* primas etiam penes Veteres hæc nostra tenuit herba, nostris licet temporibus hic ejus usus penitus eviluerit; etenim, ut cecinit Poëta:

Vilia sunt nobis, quæcumque prioribus annis
Vidimus, & sordet quidquid spectavimus ante.

Hunc vero nec fuisse imaginarium, nec fructu destitutum, a sequenti observatione, benigne mecum a Gen. D:no Præside communicata, clarissime patebit. Drotningholmiæ dum morabatur D:nus Præses, e casu quodam sermo movebatur de morbis, qui omnem operam & studium Medicorum eluderent; inter

---

d) Conf. *Etmull. Op. P. I. p.* 586. e) Vid. *Ejus libr. IX. Obs.* 32. f) Vid. *Plenck. Pharm. Chirurg.* anno proxime præterlapso editam.

inter quos Phthiſin pulmonalem omnes, unanimi fere conſenſu, numerandam eſſe exiſtimabant. Primarius Regii Stabuli Præfectus, Generoſiſſ. D:nus *Wattrang*, unice diſſentiebat, dicendo nullam fere eſſe curatu faciliorem; & hanc ſuam aſſertionem probare voluit experientia D:næ Matris ſuæ, quam religioſe aſſirmabat formula medicamenti cujusdam, quam poſſideret, ultra centum phthiſicos ex orci faucibus eripuiſſe. Petitionibus omnium annuens, promiſit, ſe cum rure ſuo reverteretur, hanc illis oſtenſurum. Promiſſis ſtetit Generoſiſſimus Vir, & rediens ſecum habuit ſchedulam, a continuo uſu penitus detritam, in qua erat deſiderata illa Formula ſcripta, &, quod mirum, illa ipſa, quam virgini phthiſicæ, apud Paſtorem *Bredenberg* in Parœcia *Björkſkog*, D:nus Præſes olim propria manu, cum in Weſtrogothiam proficiſceretur, præſcripſerat, quam ſibi, neſcio quo caſu fortuito, acquiſitam, per plurimos annos ut ſacram in Phthiſi anchoram, pie ſervaverat ſupra nominati D:ni *Wattrang* jam vita defuncta mater. Hanc, nutu faventiſſimo Præſidis mei, in ulterius & vulgatius commodum generis humani divulgare jam mihi permiſſum eſt. En itaque formulam, ob eximium ſuum uſum, centies probatam & laudatam:

Rec. Summit. Hyperic. Mp. j.
Coque in Vini hiſpan. libr. IV ad tertiæ partis reman. Cola.
D. ſ. Decoct., hwaraf ett halft quarter intages morgon och afton.

Verum quidem eſt, quum plures Phthiſeos ſunt ſpecies, quod hæc medela in omnibus non valeat; in illa tamen, quæ poſt Hæmoptyſin, & ex Ulceribus pulmonum provenit, ex hujus uſu ſemper exſpectandum eſſe fructum exoptatiſſimum, experientia nixus Generoſ. D:ni Præſidis, certo certius aſſerere audeo.

Melan-

Melancholicis, *Hypochondriacis*, *Maniacis* & ceteris affectibus animalis facultatis deliriosis, hoc ut specifico utebantur Veteres. Hinc quoque *Essentiam Hyperici compositam cum Anagallide*, *Mynsichti* contra quævis deliria parare solebant *g*). In *Dæmonia*, credita inprimis, tanti æstimatum fuit Hypericon, ut etiam nomine *Fugæ Dæmonum* inclaruerit. Credidit enim *J. Baptista Porta*, se hac herba ipsum Dæmonem ejicere posse *h*).

Chlorosin corrigit, teste *Sim. Paulli i*), & in *Arthritide*, *Rheumatismo*, morbo *Ischiadico*, Tremore artuum & *Hysteria* hanc optimam esse plantam, pleno ore affirmat Celeb. *Boerhaave k*) cum plurimis Recentiorum. In ultimo vero morbo, nimirum *Hysteria*, Hypericon, quod *hircinum* vocamus, majoris esse efficaciæ, ex odore ejus hircino, merito concludimus.

Lumbricis resistere hanc herbam nostram tam generandis, quam generatis, experimentis certis comprobat *Riverius l*), & inter optima in vermium doloribus remedia extollitur, a *Bartholino*, in *actis Hafniensibus*. Nec mirum; jucundissimo enim experimento ostendit immortali memoria dignissimus *Boerhaave*, quod si hæc herba caseo inspergatur, omnes vermes moriantur *m*). Ex quo etiam, quantum boni nobis ex hac herba in morbis ex exanthematibus vivis oriundis promittere liceat, acutus quisque videt, & sera posteritas probabit. Semina a semisse drachmæ ad integram assumi possunt. Fieri quidem potest, quemadmodum non raro accidit, ut huic remedio non semper obtemperet illa *Tæniæ* species, quam *Solium* nomine triviali appellamus: sed pluries etiam vidimus optima sic dicta specifica ad

---

g) Vid. *Ettmüller l.c.* h) Vid. *Lib.* 3. *phytognomon. c.* 12. *p.* 171. i) Vid. *Quadripart. Bot. p.* 350. k) *l. c.* l) *Cent. I. Obs.* 91. *Cent. II. obs.* 16. m) *l. c.*

ad illam expellendam frustra fuisse adhibita. Valeat itaque heic, quod in plurimis casibus medicis: *iterata juvant.*

Hypericum tomentosum in *Dysenteria* magnopere laudat *Rajus*, nostro etiam *perforato* egregiam vim in eodem morbo tribuit *Boerhaave.*

Serpiginem succo *Hyperici bacciferi* pellunt Surinamenses *n)*. An non illi nostro eadem competat vis, inquirant Curiosi. Valet enim plerumque in regno vegetabili canon: quæ genere conveniunt, virtutibus etiam conveniunt.

Rustici nostrates floribus hujus Spiritum frumenti suum tingunt, quem dein lubenter hauriunt, cum ob colorem ejus, læte purpureum, tum ob usum, quem ex illo sibi promittunt, polychrestum, optimum.

§. VIII.

E veteribus Materiæ medicæ Scriptoribus habemus primarium Dioscoridem Anazarbensem. Sed plerumque nullas adfert plantarum suarum descriptiones, & si quæ adsunt, tam obscuræ & imperfectæ sunt, ut neutiquam determinare possimus, quænam revera fuerint plantæ, quas hoc vel illo nomine indicare voluit. Misit quidem gloriosissimæ memoriæ Gallorum Rex, *Ludovicus XIV. Tournefortium* in Orientem, ut, inter alia negotia, in Græcia & ejus viciniis investigaret, si fieri posset, quænam genuinæ fuerint plantæ, ad Materiam medicam pertinentes, a *Dioscoride* allatæ. Credide-runt enim tunc temporis fere omnes, quod in scriptis Veterum plenam utique haberemus Materiam medicam, modo eorum cognoscceremus herbas. Profectus

n) Vid. Diss. D:ni Cand. *Alm* sub Præsidio D:ni Præsidis a. p. ventilatam *de plantis Surinamens. p.* 13. [*supra p.* 261.]

fectus quidem est Tournefortius, sed parvo certe hunc in finem fructu, ut cuique in Historia literaria Materiæ medicæ aliquantulum versato, notum est. Quum vero de nostro Hyperico e verbis *Dioscoridis* pateat, quod eadem sit planta, quam suo jam tempore eodem nomine insignivit, ipsa illius verba, a *Matthiolo* in linguam latinam translata, proferre necessarium duxi. Hæc itaque sunt: „*Hypericon*, alii *Androsæmon*, alii *Corin*, alii *Chamæpityn* appellant, quoniam semen odore resinam imitatur; surculacco frutice, dodrantali, „rubescente, folio rutæ, flore luteo, leucojo simili, qui digitis attritus sanguineum succum reddit (qua de caussa Androsæmon cognominatur), „subhirsuta siliqua & in rotundo oblonga, hordei „magnitudine, semine intus nigro, odoris resinosi, gignitur in locis incultis & asperis. Urinam ciet, menstrua pellit adpositum, tertianis „quartanisque cum vino potum liberat. Semen „quadraginta diebus haustum ischiadicis medetur. „Folia cum seminibus illita ambusta sanant. *Ascyron* s. *Ascyroides* Hyperici genus est, magnitudine distans, fruticosius, majores habens ramos, „surculosiores rubentesque, folia tenuia, flores „luteos & fructum resinosum Hyperico non absimilem, cujus attritu digiti fere cruentantur, „qua de caussa Androsæmum vocaverunt. Usus „seminis ad ischiadicos, potum in hydromelitis „sextario; nam biliosa recrementa amplissime detrahit; sed assidue dare oportet, donec sanitati „restituatur. Illinitur & ambustis efficaciter.„ Vide *Matthioli Comment. in Diosc.* l. III. c. 153. & 154. A succo floris sanguineo & odore resinoso patet, hoc verum nostrum fuisse Hypericum.

§. IX.

§. IX.

Quod in Oeconomia nec contemnendi ſit hujus herbæ uſus, ex ſupra allato experimento Boerhaaviano abunde liquet. Poſſumus enim, illa adſperſa, caſeos, & fortaſſis cujuscumque ſint generis edulia, a noxa inſectorum liberare.

In arte tinctoria, teſte Rev. D. D. Prof. & Soc. Ord. Vaſ. *Kalm o)*, gemmæ cum ſtipitibus lanam pulchro tingunt colore luteo. Succus vero antherarum ruber, quod proxime conveniat cum *Gummi Lacca*, & in *Baphiis* æmuletur *Sanguinem Draconis* & *Gummi Laccam*, aperte affirmat Celeb. Prof. & Equ. Ord. Vaſæi *Gadd p)*.

Ex *animantibus* domeſticis pecora, boves, capræ, oves, hanc plantam edunt, tarandi vero reſpuunt. Belluæ autem, ut equi & ſues, intactam hanc relinquunt, forſitan in medicinam illis, in Oeconomia Naturæ, deſtinatam.

§. X.


Inter *Inſecta*, quæ noſtro veſcuntur Hyperico, haud raro ad radices ejus reperi larvas *Cocci polonici* in ſat magna copia. Similes etiam in radice *Nardi ſtrictæ* vidi, quod, quum antea a nemine obſervatum audiverimus, in lucem proferre placuit. Sed num ejusdem ſint ſpeciei, determinare non audeo, quum metamorphoſin harum obſervare numquam mihi data fuerit occaſio. Inquirant

o) Vid. *Act. Reg. Acad. Sc. Holm. Vol. VI. p.* 250.
p) Vid. ead. *Act. Vol. XXIII. p.* 119.

rant ulterius in hanc rem acutiores, fortaſſis laboris impenſi neminem pigebit.


§. XI.


Hæc ſunt C. L. pauciſſima, quæ pro otii ratione de Hyperico in medium proferre conſtitui. Huic conatui innocuo ſi ignoſcas, forſan alia vice maturiora exſpectare poteris. Valeat interim de his pagellis illud tritum: *transeant cum ceteris.*



Tab. VIII







Joh. Afzelius del.

J. G. Sturm sc. Nürnb.

Tab. I.	Flores Specierum Ericæ, pertinet ad diff. 155. p. 56.
Tab. II. III.	Conchylia varia, characteres Teſtaceorum illuſtrantia, ad diff. 158. p. 146. & p. 150.
Tab. IV.	Cimicifuga foetida, ad vivum exemplar delineata, ad diff. 162. p. 198.
Tab. V.	Guſtavia auguſta, ad diff. 166. p. 267.
Tab. VI.	Diopſis, & Pauſſus, ad diff. 169. p. 509.
Tab. VII.	Aphyteia, ad diff. 170. p. 317.
Tab. VIII.	Hyperici ſpecies quædam, ad diff. 171. p. 332.

